



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Disputatio Septima. De Ministro huius Sacramenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

contra communem sensum Doctorum, & Patrum; ideoque temerariam: & similiter occasionem ruine spiritualis auditoribus præstare, eos ad peccata inclinando, vel ab exercitio virtutum avocando, ideoque scandalosam; & tamen sensum Catholicum continere, licet voces frequentius in hæretico accipi soleant, ideoque male sonantes, & piarum aurium offensivæ sint. Qui ergo aliquam propositionem ejusmodi censuris affectam adhuc veram affirmaret, non ideo cogerebatur fateri Ecclesiam in illis inferendis deceptam fuisse: respondere enim posset, se affirmare propositionem temerariam, vel scandalosam, &c. Si vero talem esse negaret, erroris aperti convinceretur; affirmaret enim, Ecclesiam errasse in qualificatione propositionum.

48. Rogabis, quam culpam esset, veram sentire, & affirmare propositionem præfatis censuris affectam? Respondet Suarez tom. de Fide, disp. 19. sect. 6. hos assensus, & assertiones non carere peccato, cum ab Ecclesia, & Conciliis damnentur, & graviter puniantur, nec possint sine imprudentia admitti. An vero sit mortale, vel veniale? Non determinat. Asserit verò num. 5. malitiam quasi intrinsecam hujusmodi actuum, nempe quam ex vi objecti habent distinctionem ab accidentali malitia, quæ ex circumstantiis oriri potest, pertinere ad vitium curiositatis, in materia supernaturali, oppositum virtuti studiositatis, juxta illud Pauli ad Romanos 12. Non plus sapere, quod oportet sapere, & Ecclesiast. 3. *Miora te, ne quæstius & fortiora te, ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus Dei noli esse curiosus.* Peccatum autem curiositatis per se, & ex suo genere solum esse veniale, tradit P. Lessius lib. 4. cap. 4. dub. 11. num. 83. & videtur sumi ex D. Thom. 2. 2. q. 167. art. 1. Ex circumstantia verò grave potest esse peccatum, & aliis virtutibus oppositum. Quandoque enim erit contra fidem, ut si ex prolata propositione malè sonantis periculum sit, quod auditores in suspicionem hæretici sensus à proficiente intentum deveniant, vel inde ipsi in errorem aliquem inducantur: Quandoque contra iustitiam, vel religionem, si per scandalosam propositionem, occasionem aliis præbeat peccandi in his materiis, & sic in aliis.

49. Est tamen maximè notandum discrimen inter censuras: si enim quis interius sentiret veram esse propositionem, quam Ecclesia ut temerariam damnavit, si nulla de novo ratio hucusque à nemine producta accessisset, non posset non errorem contra fidem incurrere; quia talis actus involvit iudicium de gravi fundamento sufficienti ad prudenter assentiendum: quod non extitisse, declaravit Ecclesia, dum propositionem, ut temerariam damnavit; quapropter, qui veram modo illam sentit, & suum assensum prudenter censet, aperte iudicat non esse temerariam, & per consequens Ecclesiam errasse in qualificatione propositionis (si censura eum non lateat.) Quod absque hæresi, vel errore in fide non evenire, constat ex superius dictis. Secus verò esset, si propositio, neque ut falsi, nec ut temeraria, sed solum ut scandalosa, vel piarum aurium offensiva damnata fuisset. Quia rectè compatitur iudicium de veritate propositionis cum assensu de scandalo, & offensione, si in actum externum prodeat. Qui autem scandalosam non negaret, decreto Pontificio non

opponeretur. Vide alia infra disp. 8.

quest. 5. à num. 32.

DISPUTATIO SEPTIMA

De Ministro hujus Sacramenti

QVÆSTIO PRIMA.

Utrum solus Sacerdos sit Minister idoneus? Et quid ultra ex parte illius ad valorem absolutionis requiratur?

1. **D**ico primò solum Sacerdotem esse Ministerum Sacramenti Pœnitentiæ, etiam peccatorem: est dogma fidei ex Tridentinæ sess. 14. cap. 6. & Can. 9. & 10. Sicut & in suis constitutionibus potestatem absolvendi à peccatis accipere, licet sola hæc ad valorem absolutionis non sufficiat, ut capite 7. Concilium diffinit, dum inquit: *Nam mentis absolutionem eam esse debere, in qua Sacerdos ordinarius, aut delegatus jurisdictionem non habet.* Ergo omnes Theologi evidenter concludunt, de necessitate posse Sacerdotem absque ulla jurisdictione, & consequenter absque proxima potestate absolvi, saltem à lethalibus aliis non confessis. Quæ ab his quæ virtute absolutionis sunt directè remissa, sunt & à venialibus, upotè materia libera confessio, omnes Sacerdotes ex vi sue ordinationis jure divini posse absolvere, sentiunt Paludan. Capreolus, Cyprianus, Sotus, & alii, apud Vasquez hic quest. 9. art. 1. dub. 6. Quos sequuntur Coriolanus de leg. disp. p. 1. sect. 3. num. 8. & Molfellius tract. 7. cap. 15. ann. 66. Et saltem ex jure Ecclesiastico, & p. a. Martiniensis concessionem, Sacerdotes omnes hanc potestatem habere, est communis Theologorum sententia, & consuetudine comprobata, sicut & nullatenus omnibus concessam ad absolvendum à mortalibus non confessis.

2. Quapropter quorundam antiquorum sententiam, quæ omnibus Sacerdotibus, ex vi sue ordinationis sufficientem jurisdictionem ad absolvendum ab omnibus peccatis (eius tamen utrum ab Ecclesia de facto esse prohibita) concedebat: post Tridentinum, esse erroneam; dicit Fagundes 1. p. 1. Eccles. lib. 7. cap. 1. num. 11. & hæreticam censet Vasquez 93. artic. 1. cap. 2. Quæ quidem censura potest jure inirenda aliorum sententiarum, quos respicit Thom. Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 22. nu. 7. & Machado rom. 1. lib. 1. p. 2. tract. 1. docum. 8. asserentibus validam confessionem, quam ex communi erroris quis faceret, cum non Sacerdote, imò, & cum heretico: quasi Ecclesia posset supplere defectum potestatis ordinis, & tollere impedimenta juris naturalis, & divini: aut communis error jurisdictionem absolvendum à peccatis in laicum, etiam si error derivare potuisset. Quod ipsi putant, non est dementia, quam errore.

3. An verò; licet laicus à peccatis absolvere possit; ut fide Sanctum est, queat tamen in casu necessitatis vicem Sacerdotis supplere, ut ei confessio fieri possit? questio longè diversa est. Quam agitur D. Thomas in 4. disp. 17. q. 1. art. 3. quest. 2. & effectivè respondit verbis, quæ subnecto. Ad secundum

dam questionem dicendum, quod sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita & Pœnitentia. Baptismus autem qui est, vel (ut antiquioribus editionibus legitur) quia est Sacramentum necessitatis, habet duplicem Ministrum: unum cui ex officio baptizare incumbit: alium, cui ratione necessitatis, baptisimi dispensatio committitur. Et ita etiam Minister Pœnitentiæ, cui confessio faciendâ est ex officio, est Sacerdos: sed in casu necessitatis (attendendum etiam laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit. * Et iterum infra, luculentius effectum gratiæ sanctificantis, qui ex Dei misericordia ejusmodi confessionem subsequitur, sic explicat. * Defectum Sacerdotis summus Sacerdos supplet: & confessio laico ex defectu Sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte Sacerdotis. * Hactenus D. Thom. quæ iterum reperit *Opusc. 65. de officio Sacerdotis, §. De cautela in confessione habenda.*

4. D. Thomam sequitur M. Raynerius de Pisis in *Sum. seu Pantheologia, verb. Confessio, cap. 17. ibi*: * Dico, quod in casu necessitatis, scilicet, quando imminet periculum mortis, sufficit laico confiteri. Et summus Sacerdos, scilicet Deus supplet Sacerdotis defectum, & hoc propter desiderium pœnitentis. Et quamvis ille confessus laico in necessitatis articulo, si misericordiam consecutus à Deo, eod quod mandatum Dei, sicut potuit implevit, non tamen adhuc est reconciliatus Ecclesiæ, ut ad Sacramenta Ecclesiæ admitti debeat, nisi prius absolvatur à Sacerdote. Hæc D. Thomas in 4. *dist. 17. art. 3. q. 2.* * Sic Raynerius. Quæ si vera, sufficit ad justificationem in articulo mortis, quod laicus peccatoris confessionem audiat, licet absolvere nequeat (ut fide Sanctum est) siquidem per confessionem laico factam peccator reconciliatur Deo suppleti Sacerdotis defectum, quoad effectum gratiæ.

5. Ceterum in opusculo pro Jesuitis cum Soto, & aliis communiter, ostendi hujusmodi sententiam, pietati solum innixam esse; quia de lege ordinaria nemo extra Sacramentum justificari potest, absque actu contritionis. Confessio autem laico facta non est Sacramentum, & contrarium dicere esset aperta hæresis. Videatur M. Sotus in 4. *dist. 24. quæst. 1. art. 4. rursus* Hæc autem, ibi: * Quo circa, inquit, non dubito, quin Sanctus Thomas in Summa, nunquam tale verbum dixisset. Est enim dicere, quod Deus peccatorem sine Sacramento, & contritione justificat, quod esset manifestus error. * Sic ille.

6. Omittere verò non possum adnotare Baronium, ut de more habet, Amadeum, D. Thomæ verba referentem, *tract. de Eucharist. prop. 1. num. 4.* acriter carpere, & de calumnia in D. Thomam expostulare *disput. 2. sect. 4. art. 2. §. 2. fol. 254.* Verum cum Amadeus formalia D. Thomæ verba referat, nullaque frans interveniat, nulla malitiosa interpretatio, nulla mendax informatio, capere non possum, cur Baronius veram, & fideliem verborum excriptionem calumniam blateret. Sensus D. Thomæ apertissimus est, confessionem in casu necessitatis posse fieri laico, deficiente Sacerdote, & huius defectum Deum supplere, non quoad valorem Sacramenti, quia laicus absolvere non potest, sed quoad effectum gratiæ justificantis. Tribuit itaque huic confessioni, quod *dist. 6. quæst. 1. art. 2.* attribuerat baptismo, deficiente intentione baptizantis. Quod pietate magis, quam ratione nititur. Ut tradunt communiter eius discipuli, de quo plura *tract. 4. de Sac. q. 3.*

7. Exponit D. Thomam Baronius ubi supra eum P. Nicolai, dicens: * Sed P. Nicolai huic venenoso mortui antidotum apposuit eruditus notis ad illam questionem: non esse mentis D. Thomæ parem statuere necessitatem utriusque Sacramenti (Baptismi, scilicet, & Pœnitentiæ) neque enim, inquit, baptismus adultis, sed parvulis duntaxat confertur; quia cum remedium supplere nequeant ullo modo, quoad illos absoluta est necessitatis, & ideo confertur oportuit à laico. Pœnitentia autem ad adultos pertinet, quam cum supplere possint interno dolore, non est par necessitas confitendi laico, &c. Quamvis in signum quoddam Christianæ professionis prædicta confessio fieri possit. * Sic Baronius. Fateor discrimen, sed expositio superflua: nec contra Amadeum, quia nullibi imposuit D. Thomæ; quod parem utriusque Sacramenti necessitatem fecerit, nec quod deficiente Sacerdote, dixerit necessarium esse confiteri laico; sed quod confessio illi fieri possit: quod D. Thom. expressè tradit, & Baronius cum P. Nicolai admittit, licet uterque consilio omiserit, quod D. Thomas ibi addit; nempe, Deum Sacerdotis defectum supplere, & iterum *dist. 24. q. 1. art. 2. quæst. 3. ad 2.* ubi de non baptizato, ad ordinis tamen promotum, sic ait. * Non est Sacerdos, nec conficere potest, nec absolvere in foro pœnitentia. Sed tamen pie credi potest, quod quantum ad ultimos effectus Sacramentorum, summus Sacerdos suppleret defectum. *

8. Non inficiol, licitum, & fructuosum esse in articulo mortis, deficiente Sacerdote, peccata in genere coram laico explicare, ad ostensionem doloris, & desiderium Sacerdotis, ut hic postea adveniens, infirmum, licet sensibus destitutum, ex altancium testimonio, absolvere possit. Imò, & ad signa contritionis exhibenda, si de illa certus non sit, ex charitate propria teneri. Quod asserere debent omnes, qui moribundum sensibus destitutum, qui nulla signa contritionis deest, absolvi non posse, defendunt. Et in hoc sensu admitti potest sententia M. Sententiarum in 4. *dist. 17. cap. 4.* dicentis, confessionem in casu necessitatis non solum posse, sed debere fieri laico. Videatur Henriquez *tom. 1. lib. 6. cap. 2. n. 7.* & in *Gloss. O.* ubi causas refert, propter quas laicus confessionem alterius audire possit, sed nullo modo, inquit, est præceptum, licet utile sit. * Primum, ut laicus peccata audita referat Sacerdoti supervenienti, non ne infirmis secundo, ut juvet, ad contritionem excitandam, & ad consilium, aut restitutionem faciendam. (Pro qua refert Victoriam, Ledesmam, Armillam, Navarrum, Mantium, & alios) Tertiò, ut in articulo mortis Clericus absolvat ab excommunicatione, etiam reservata, aut conferat indulgentias. * Sic ille.

8. Addunt alii, in articulo mortis, deficiente Clerico, laicum posse ab excommunicatione valide absolvere. Ita sentiunt Joannes Sanctus in *Selectis, disp. 44. num. 7.* Bartholomæus de Ledesma de *excommunicatione, dub. 4.* D. Antoninus 3. *p. tit. 17. cap. 4. casu 7.* Joannes dela Cruz, Tabiæna, Joannes Valerus, & alii, quorum sententiam probabilem putat Leander *disp. 11. quæst. 7.* Addit Thom. Sanchez *lib. 2. Summ. cap. 13. n. 13.* non solum posse, sed debere laicum, in prædicto casu, impertiri absolutionem ab excommunicatione, cui consentit Leander, eo quod Doctores citati, & plures alii probabiliter doceant, posse. Quod est valde notandum. Sicut & quod, aliis citatis, tenet Quintana *ad vennis rom. 1. singularium, in appendice ad tract. 9. in Iulileo pro mortis articulo, dub. 4.* nimirum, posse etiam laicum, deficiente Clerico, applicare moribundo indulgentias concessas pro mortis articulo, si requi-

requiritur applicatio (quam ipse, nunquam requirit, censet, & probat ubi supra dub. 3.) Harum assertio-
num ratio est, quia pia mater Ecclesia in eo articulo
constituta, quidquid beneficii impendere potest,
deficiente Sacerdote, per laicos, conferre censetur,
dum illorum capacitatem non excedat. Monet verò
Sanchez, ut absolutus ab excommunicatione à non
Sacerdote, absolvatur iterum ab illo post mortem, ut
certus sit valor absolutionis, ne exponatur periculo
carendi suffragiis publicis Ecclesiæ, quæ excommu-
nicato non profunt.

9. Assentiri tamen non possum M. Victoria in Sum.
de confessione, nu. 142. concedenti laico facultatem ab-
solvendi à venialibus per modum cuiusdam Sacra-
mentalibus: verba eius sunt: * Imò ipse Sacerdos, cum
celebrat, absolvitur de venialibus à laico in confes-
sione generali, auctoritate Ecclesiæ, quæ habet po-
testatem supra venialia, sicut perunctionem pectoris,
vel aquam benedictam, quia licet talis confessio
non sit Sacramentum, est tamen quoddam Sacra-
mentale. * Licet enim concedatur, quod ipse confes-
sioni attribuit, nempe, quod ipse virtute, ut actus
pœnitentis est, venialia remittantur; nullum est fun-
damentum ad asserendum virtute absolutionis à laico
impendi, aliqua remitti, quia, neque ut actus ju-
risdictionis, cum laicus sit illius incapax, neque ut
actus Sacramentalis, quia Ecclesia talem non insti-
tuit. Quapropter hæc sententia omni prorsus funda-
mento est destituta.

10. Dico secundo: ultra jurisdictionem Sacerdotis
opus esse ad valorem absolutionis, quod eam appro-
bationem ipse habeat, quam definit Trident. sess. 23.
cap. 15. dicens: Nullum etiam Regularem posse confessiones
secularium, etiam Sacerdotum audire, neque ad id idoneum
reputari, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab E-
piscopis per examen; si illis videbitur esse necessarium; aut
alias idoneum judicetur, & approbationem, quæ gratis datur,
obtineat. Ex quo inferunt communiter Doctores, ab-
solutionem secularis à non approbato collatam esse
nullam. Quamvis contrarium absque fundamento
ullo defendat Croulers in Regul. S. Franc. cap. 7. lect. 3.
fol. 498. ubi censet solum esse à Concilio prohibitam,
non verò invalidatam. Verba enim illa non posse nul-
litatem actus important. Nec audiendus est Barbosa
in Collectan. ad Trident. sess. 23. cap. 15. ubi citatis Molse-
sio, Corollano, & Joanne Valero, inquit, ignoranter
Confessum non approbato, manere coram Deo ab-
solutum. Id enim gratis dicitur, si sola mortalia con-
fiteatur.

11. In articulo autem mortis, quoslibet Sacerdotes,
etiam non approbatos, imò, & degradatos, irregula-
res, & excommunicatos, posse validè, & licitè, aliis
deficientibus, absolvere à quibuscumque peccatis, &
censuris, constat ex Trident. sess. 14. cap. 7. Nec bene Na-
varrus cap. 26. nu. 26. & Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. de
Sacerdote hæretico negant. Quia ubi lex non distin-
guunt, nec nos distinguere debemus. Nec credibile est,
cum periculo salutis æternæ animarum, usum Sacra-
menti in earum favorem institui, prohibitum esse, ne-
dum invalidum. An verò simplex Sacerdos licitè pos-
sit absolvere, quando adest approbatus, vel etiam su-
perior, cui peccata reservata possunt subijci: sub lite
est apud Doctores. Sed pars affirmativa probabilior
mihi videtur. Quia Tridentin. ubi supra expressè,
nulla adhibita limitatione, sic definit. In articulo mor-
tis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis pecca-
tis, & censuris absolvere possunt. Amplissima ergo hæc
concessio non est à nobis coarctanda.

12. Adde; gravissimos Doctores, ex hoc Tridenti-

ni loco deducere, jure novoin eo contento, ab-
solutum ab excommunicatione reservata, in articulo
mortis, non teneri, eo cessante, comparere coram
superiori, prout olim tenebatur ex cap. Eos qui de sen-
tentiis commun. Ità P. Sà verb. Absolutio ab excommuni-
catione. I. Marchantius tom. 1. tract. 2. tit. 4. q. 7. cum 3. q.
M. Illardus in Sum. Paroch. de Pœnit. cap. 97. m. 10. Quod
limitant alii ad casum, quo censura non sit destricta
ad forum contentiosum, sic Calesinus, & alii apud
Dianam p. 5. tract. 14. resol. 59. & p. 10. tract. 14. resol.
63. ubi pro hac opinione refert Januarius, & alii.
Texeda: vel quando excommunicatio non habet
onus satisfaciendi causæ, ob quam incurritur, in Na-
varrus cap. 26. n. 27. Avila de Censuris, p. 2. cap. 7. dist. 1.
dub. 4. concl. 1. Quod putat probabile fuisse, non
tract. 15. cap. 7. n. 151. Sed quidquid de his sit. Certum
est non esse imponendum pœnitenti onus com-
pendi, quando in articulo mortis, vel extra illum ab-
solvitur à censuris virtute Bullæ Cruciatæ, vel libe-
rali, alias privilegium nil operaretur, ut bene sumit
Sanchez in Sum. lib. 2. cap. 13. n. 21. Joannes Sanchius
Selectis, disp. 12. num. 5. Tullench in Bull. lib. 1. §. 7. cap. 2.
dub. 5. n. 11. & alii apud ipsos. Id autem locum non
habet in hæretico; nam Bulla nil circa hæreticum co-
cedit, ut advertunt Doctores citati. Quia generalis
facultate, semel in vita, & iterum in articulo mortis,
absolvendi à reservatis etiam in Cœna Domini, ex-
pirat, in Bulla Hispaniæ, hæresis cimen, expressè
concessione Gregor. XIII. facta in quodam mon-
pro proprio, qui incipit Officii nostri partes, anno 1578. Il-
de Bulla, nec pro articulo mortis, quidquam conce-
dit circa absolutionem ab hæresi, sed Tridentinum
tum concessioni standum est. An etiam extendi
Doctoribus citatis adhibere? Supremum sacro
Inquisitionis Tribunal consilium oportet. Ego
interim onus comparandi hæretico extenno in pœnitentia,
non omitterem. Nec assentiri principio, ex quo op-
positum inferatur.

QVÆSTIO II.

Utrum Parochi extra casum neces-
satis possint sibi eligere confessa-
rium? an etiam non approba-
tum ab Ordinario?

1. Duplex sub hoc titulo exagitur questio.
Prima, an Parochi possint in consuetudine
eligere, quem maluerint Sacerdotes ap-
probato ab Ordinario, sed alias carentem jurisdic-
tione? Secunda, an etiam ab Ordinario non appro-
batum? Duplex hæc questio à nonnullis confunditur,
sed immeritò: valdè enim diversæ sunt, quia non
compatitur, Sacerdotem esse approbatum, & non
jurisdictionem ad absolvendum non habere: ut
ad reservata contingit; à quibus ex defectu
jurisdictionis Sacerdos, alias approbatus, absolvere
nequit. Cujus distinctionis ratio à priori est, quod
approbatio nil est aliud, quam quædam publicæ
sententia, seu Ordinarii judicium de sufficientia Sacra-
dotis ad audiendas confessiones: jurisdictio vero
est quædam gratia, quam liberaliter facit Pontifex,
vel Episcopus, vel Parochus, dum suas illi orbes
candans committit. Hoc positum.

2. Primò certum est, ex cap. ultimo de Pœnit. & remiss.
Episcopos, & inferiores Prælatos exemptos habere
facul-

facultatem eligendi confessorium; cuius concessio-
nis rationem exprimit textus, ibi: *Ne pro dilatione peni-
tentie periculum imminuat animarum*, permittimus Epif-
copis, & aliis Superioribus, necnon minoribus Prælati ex-
emptis, ut, etiam præter sui Superioris licentiam, providum,
& discretum, sibi possint eligere Confessorem.

3. Est tamen non levis difficultas, an Parochi, in
præfato juris capite, comprehendantur sub illa par-
ticula Prælati minores, ac proinde valide, & licite non
minus, quam Episcopi, extra casum necessitatis, pro
suo nutu, in aliena Diocesi, vel Parochia Confesso-
rem providum, & discretum eligere possint, etiam alias
carentem jurisdictione? Affirmant nonnulli, quo-
rum sententiam probabiliter innuit P. Suarez tom. 4.
in 3. part. disp. 28. sect. 2. num. 7. dicens: * Ita sentiunt
Sylvestri, & Angelus, cum Panormitano; sed in ri-
gore, probabiliter videtur contrarium. * Sylvestri
verba sunt verb. Confessor. 1. question. 8. ibi: * Qui pos-
sint eligere confessorum? Et dico, quod sunt Epif-
copi, & Prælati Superiores, & similes Prælati infe-
riores exempti, ut Abbates, & huiusmodi. Notan-
dum tamen, quod ut eligere possint prædicti infe-
riores, requiritur primum, quod sint Prælati, capiendū
largè Prælatos, etiam pro Sacerdotibus Curatis, ut
dicit Panormitanus in dicto cap. finali, qui largè dicuntur
Prælati. * Quibus facit Margrita Confesso-
rum, fol. 156. ubi ait: * Dicendum est igitur, quod
Curati largè dicuntur Prælati, & aliquomodo et-
iam strictè, quia in certis casibus habet jurisdic-
tionem in foro contentioso. Unde secundum Sanctum
Thomam in 4. dist. 18. potest excommunicare pro fur-
to, & rapina, & similibus: & secundum Panormita-
num possunt eligere Confessorem, sicut Episcopi,
fieri cap. tua de Clerico agrotante. * Hæc tenet M. Bal-
tanas, quem refert, & sequitur Vega 1. part. Sum. cap.
75. ubi sic: * Segun Panormitano, puede el Cura
elegir Confessor para si, ni mas, ni menos, que el O-
bispo, ut est in iure, y esta opinion ruo tambien
Margarita Confessorum. * Quibus consentit Pal-
qualigus decis. 105. & alii.

4. Verum contraria omnino sententia tenenda est
cum Suarez ubi supra, quem sequuntur P. Granados
traç. 10. disp. 5. num. 4. & Mollesius traç. 7. cap. 15.
num. 38. ubi ait, hanc esse responsionem omnium. E-
gidius disp. 8. num. 61. & plures alii. Quorum ratio est,
primum, quia Parochi nunquam in iure simpliciter, &
absolute dicuntur Prælati, quin potius in Clementi-
na dudum de sepulturis sit aperte distinctio inter Pa-
rochos, & Prælatos. Secundò, quia licet nomine
Prælatorum Curati venire possint, non idè præfato
juris privilegio frui possent, quia solis Prælati infe-
rioribus exemptis conceditur. Curati autem non
sunt exempti ab Episcoporum jurisdictione. Quod
si forte al quis exemptus sit, & immediatus Pontifici
Summo, in hoc tantum locum habere poterit opinio
Panormitani, Sylvestri, & aliorum; quia ut benè ait
Suarez supra: verba textus probabiliter ei accom-
modari possunt, propter rationem, cui innititur, ne
pro dilatione penitentiae, periculum imminuat animarum;
quia non est facile, Pontificem adire: Unde in Sa-
cerdotem, alias jurisdictione carentem, eligere pos-
sunt, non satis illi provolum fuisset, ut animæ pericu-
lum vitaret. Et, me iudice, pro solis Parochis exemp-
tis adduci potest Sylvestri ubi supra; ait enim: ut
quomodolibet eligant. * Secundò requiritur, quod sint
nempti, quod in Episcopo, & Superioribus, non
requiritur secundum Panormitanum, ibi: * Ergo
Curatis non exemptis, non concedit Sylvestri facul-
tatem eligendi Confessorem, sed exemptis tantum.

5. Quoad Prælatos verò Regulares, ut Provincia-
les, Ministros, Priores, Guardianos, Rectores, & al-
ios Superiores locales, conveniunt ferè omnes, posse
ex iure eligere sibi confessorium; quia verè sunt Præ-
lati, & exempti, licet aliis Prælati maioribus subfint,
ut Generali, vel Abbati. Ita contra Hostiensem, Pa-
normitanum, & Angelum, tradunt Suarez ubi supra
disp. 27. sect. 2. nu. 10. Lugo disp. 19. n. 4. & disp. 20. n. 67.
Valquez quæst. 93. artic. 2. dub. 4. Diana 3. part. traç. 2.
resol. 1. & part. 4. traç. 4. resol. 1. & plures, quos cita-
tos sequitur Palqualigus decis. 96. n. 2. Et ante omnes
Sylvestri, verb. Confessor. 1. quæst. 8. quem refert Ama-
deus Guimenius in opus. pro testibus, traç. de Penit.
prop. 16. ubi eius formalia verba adducit.

6. Unde valdè miror desidium Vincenii Baronii
in opere contra Amadeum disp. 2. sect. 3. fol. 245. ubi non
solum contrariam sententiam Sylvestro attribuit, sed
enormis imposturæ Amadeum insinuat, dicens:
* Quoad Sylvestrum attinet, adverte, non bona fide
referri, sic enim habet: Præter exemptos, qui imme-
diatè subduntur Papæ, Prælatos, qui habent supra se
Abbatem, Generalem, vel ejusmodi, id est, Episco-
pum, eligere communi iure non possunt quemlibet Sa-
cerdotem in confessorium. * Hæc Baronius, quibus
Sylvestro & verba, & sententiam imponit, nempe,
quam ab aliis traditam refert, & deserit. En eius ver-
ba: * Exempti habentes immediatè supra se Abba-
tem, vel Generalem, & huiusmodi, eligere communi
iure non possunt, secundum Hostiensem, quod ibi
Panormitano placet, & hoc sequitur Angelus. Sed
Petrus de Palude (attende) tenet contrarium, dicens: Quod
Prior, si est Prælati, & exemptus, licet subfit Abbati & Ma-
joribus, hoc potest sine licentia eorum, quia hoc privilegium
(inquit) de eligendo Confessorem equaliter conceditur E-
piscopis, & minoribus Prælati exemptis. Hoc sequitur Ar-
chi. & hoc tene: quia constitutio est gratiosa, & latè inter-
pretanda. * Ergo apertissimè Baronius contradicit
Sylvestro, & sententiam, quam ibi rejicit, attribuit;
& ex industria imponit, ut Amadeo calumniam in-
ferat. Maneat ergo omnino certum, juxta opinio-
nem Sylvestri, Prælatos inferiores exemptos posse
communi iure confessorium eligere, licet supra se ha-
beant Abbatem, vel Generalem, & huiusmodi. Quod ut
negaret Baronius, verba à se conficta Sylvestro affin-
gere coactus est.

7. Restat verò non levis difficultas, an Curati ex-
tra suam Parochiam, licet non ex iure, ex consuetu-
dinetamen, habeant facultatem eligendi confesso-
rem, nempe, al à approbato ab Ordinario, sed ju-
risdictione carentem? Affirmant plures ex anti-
quis; Hostiensis, Raymundus, Astenis, Gerson, &
alii apud Suarez disp. 27. sect. 3. quos post Triden-
tinum sequuntur Navarrus in cap. placuit, num. 30. & se-
quentibus. M. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. §. Simili-
ter & omnes. Ubi sic scribit: * Curati consuetudine
habent, ut possint sibi eligere confessores, præter-
quam in casibus reservatis. Quin verò, & universi
simplices Sacerdotes eadem gaudent facultate, ut
sibi promiscuè quemcumque eligant Sacerdotem.
* Idem tenet M. Ledesma, & alii, quos sequitur Ve-
ga ubi supra 1. part. Sum. cap. 75. ibi: * Dize bien Le-
desma, que los Curas, por la costumbre que ay, pue-
den elegir para si Confesores, los quales los pueden
absolver, sino es de los casos reservados. * Quorum
sententia, si rectè explicetur, sustineri potest, ut benè
ait Suarez.

8. Sitigitur prima conclusio: Ex sola consuetudi-
ne nullus habere potest facultatem eligendi confes-
sarium, alias carentem jurisdictione. Sic P. Suarez
ubi

ubi supra, Vázquez tom. 4. in 3. part. q. 93. art. 2. dub. 2. num. 5. Cajetanus, & alii communiter. Probatur ex cap. si Episcopus de Pœnitent. & remission. in 6. Ubi Bonifacius VIII. definit, nulla consuetudine introduci posse, ut aliquis, præter superioris licentiam, confessorum sibi eligere possit. Unde probant communiter Theologi, jurisdictionem esse jure divino necessariam, & à solo Pontifice, aut Episcopo, vel Parocho in proprias oves communicabilem. Juri autem divino nulla consuetudo derogare potest: esset enim corruptela, non consuetudo, ut docent communiter Theologi. Unde infero, eradenda esse verba Magistri Soti loco supra citato ex editione Methynæ à Campi anno 1579. Ubi cum sibi objecisset præcitatum caput, si Episcopus, responderet: * Nudam consuetudinem contra illud ius prævalere posse, * quod sustineri non posse, censeo; quia alias inanis proflus esset Pontificis decisio. Quapropter mihi suadeo, verba illa non esse Mag. St. Soti, sed per errorem Typographi irrepsisse, ly nudam, cum deberet dicere nullam. Quod non obscurè colligitur ex subsequentibus, quæ congruam capitis explicationem præferunt: & ipsæmet expressit infer. us art. 3. §. * In introitu. *

9. Dico secundò: si videntibus, & tacentibus Pastoribus, alicubi introducta fuerit consuetudo eligendi confessorium, poterunt tuta conscientia Curati, etiam extra suam Parochiam, & alii Sacerdotes illi stare; quia Prælati censentur jurisdictionem electis conferre, dum videntes silent; ideoque jurisdictionis hæc non ex consuetudine, sed ex legitima concessione Prælati promanet, & ex vi talis concessionis à successoribus non revocatur continuatur. Unde consuetudo, si propriè loquendum sit, non dat facultatem eligendi confessorem, sed est signum concessæ, & virtute consensus taciti superioris perseverantis. Ex quibus consequenter deducitur, Prælatum, ex cuius tacito consensu continuatur consuetudo, posse pro suo libito, contraria expressa voluntate, illam abrogare, & penitus abolere, quin præcedens consuetudo allegata ullo modo prævalere possit. Hæc ratio explicanda est consuetudo, quam Curati, & alii omnes Sacerdotes sæculares obtineant, eligendi confessorium, de qua testantur M. Sotus ubi supra, P. Vázquez, quest. 93. citata art. 1. dub. 4. num. 2. in fine. P. Gaspar Hurtado disp. 10. de Pœnitent. diff. 12. Suarez disp. 27. sect. 3. Vega, & alii. Quibus consentit Vincentius Baronius 2. par. Manuduct. disp. 2. sect. 3. fol. 245. Et sanè quod Parochus in sua Parochia possit, videtur certum, quia quem subditis potest, sibi eligere non prohibetur. Potest autem pro subditorum confessionibus quemlibet approbatum exponere.

§. I.

Quid de electione confessorii non approbati, post Tridentinum?

10. **G**ravior est difficultas, utrum habentes facultatem eligendi confessorium aliàs carentem jurisdictione, possint post Tridentinum (ubi receptum fuerit) eligere etiam non approbatum ab Ordinario? Ad cuius decisionem præmittere oportet Tridentini verba sess. 23. cap. 13. ubi: * Decernit sancta Synodus; nullum etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire; nec ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per ex-

amen, si illis videbitur esse necessarium, aut alioquin iudicetur, &c. Privilegiis, & consuetudinibusque, etiam immemorabilibus, non obstantibus. * Hæc positis.

11. Omnes ex jure habentes facultatem eligendi confessorium posse, etiam post Tridentinum, & gere non approbatum ab Ordinario, asserunt Thomas Hurtado tom. 1. var. quest. 17. si. tract. 1. art. 1. ref. 12. cum Villalobos, Joanne de la Cruz, Miranda, & aliis quos refert. Quos sequitur Palacios s. Curati possint; assensum decis. 109. numer. 6. in de Pœnitent. * Existimo, posse eligere etiam non approbatum ab Ordinario. * Probat, quia per Tridentinum non revocatur privilegium Parochi concessum, cap. de Pœnitent. & remission. ut potè in corpore præcitatum, & sicut non revocatur per decreta generales, & sicut non revocatur per decreta gentibus, quia Tridentinum specialem mentionem de ipso non fecit, ita neque in ordinem eligendi ob eandem rationem: cum Palacios ex eadem debent, qui asserunt idem quod Episcopus privilegium, ex jure Parochi competere. Panconium Vega, & Baltanas citati num. 3.

12. Huic sententiæ dissentire non possunt M. Gallo, M. Joannes de Orellana, & doctissimi alii Magistri, quos citatos sequitur ex eodem introitu M. Petrus de Ledesma in sum. tom. 1. de Sacram. Pœnitent. 12. conclus. 5. §. La segunda sentencia. Et Ludovicus S. Juan, quest. 6. de Pœnitent. art. 2. diff. 12. Quam sententiam probabilem putat M. Joannes de Curia in direct. part. 2. de Sacram. Pœnitent. quest. 1. art. 2. & amplectitur Thomas Hurtado tom. 2. ref. moral. tract. 12. cap. 1. num. 2024. Hi inquam, dissentire nequeunt, quia asserunt, Parochum, post Tridentinum, posse Sacerdotem simplicem non approbatum ab Ordinario, exponere ad audiendam confessionem Parochianorum confessiones. Quod ante illud nunt M. Soto in 4. dist. 18. quest. 4. artic. 3. ref. dubium dubium. Parochus enim potest, Sacerdotem, quem subditis exponit, sibi eligere: nam ut ed. Thoma, D. Antonino, & aliis trad. M. Joannes Martinez de Prado tom. 2. quest. moral. cap. 213. numer. 64. * Potest Prælati uti licentis, quia subditis concedit, & concedere confessorio, ut cum solvat, & cum illo dispenset, sicut potest committere dispensare cum alio. * Quæ sententia est expressa D. Thomæ in 4. dist. 21. q. 1. art. 3. quest. 4. ad 1. Et sequitur, quæ autoritate jurisdictionis daturatur, potest etiam Prælati uti, tam in temporalibus, quam in spiritualibus. * Et est communis opinio Doctorum apud Sanchez lib. 8. de Matrim. diff. 3. Et est necessaria consequentia ex una opinione ad aliam ac proinde Parochum posse confessorium non approbatum sibi eligere, quem sui sordibus exponi potest.

13. Urgetur ex doctrina Ludovici à Cruce, in cap. 2. dub. 23. num. 20. asserentis, Emittebantur Cardinales posse ex sibi subditis, & communitatibus eligere confessorem non approbatum à Decretano, cuius egregiam rationem (inquit Thomas Hurtado) reddit Naldus, verb. Cardinales, num. 1. in præ quia certum est, Cardinales esse proprios Sacerdotes familiæ, & per se, vel per alios posse hoc munus Parochiale, si possunt (inquit) hanc facultatem prædictæ familiæ, supra, concedere, non erit ambigendum, possit et ipsos uti eadem autoritate. Atqui certissimum est Parochum in subditos, & Parochianos illas

exercere posse: ergo non minus, quam Domini Cardinales, confessorium, quem subditis exponere, sibi eligere poterit. Idem ergo iudicium de utraque opinione ferendum est: atque adeo si ex iure, post Tridentinum, potest pro subditis non approbatum designare, (ut pluribus suadere contendit Thomas Hurtado ubi supra) poterit etiam ex iure non approbatum sibi eligere.

14. Ex quo principio Parochum posse suam jurisdictionem alteri Parocho communicata valide, & licite uti, & beneficium absolutionis, sicut & subditos, ab illo obtinere, tradunt Henriquez lib. 6. cap. 8. num. 2. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 4. Navarrus cap. placuit, num. 4. 9. de Penit. dist. 6. Suarez disp. 28. sect. 4. nu. 18. Coninch. Fagundez, & plures alii, quos citatos sequuntur Bossius de iubilæo, sect. 5. casu 2. §. 4. num. 126. Leander de Sacram. tom. 1. de Penit. tract. 5. disp. 11. quæst. 34. Et Thomas Hurtado ubi supra, tom. 2. tract. 12. cap. 1. num. 2026. Ergo si Curatus post Tridentinum possit simpliciter Sacerdotem, & non approbatum ab Ordinario suam jurisdictionem pro suis subditis delegare; poterit etiam ab illo absolvi: habet enim potestatem ordinis, & jurisdictionis. Ergo vel necessarium dicitur, jurisdictionem non esse post Tridentinum delegabilem non habenti approbationem in Concilio stabilitam, vel posse Parochum post Tridentinum Sacerdotem non approbatum in confessorium sibi eligere. Cujus ratio à priori est, quia Prælati potest quoad se, quod potest quoad subditos: duas enim personas representat, aliam superioris, secundum quam jurisdictionem delegat; alteram hominis, vel partis communis, secundum quam jurisdictioni subicitur: expedit enim, ut hi, qui aliis, sibi etiam facultatem facere possint, ne sint peioris conditionis quam subditi. Quod desumitur ex D. Thoma, Cajetano, Soto, Tabiena, Sylvestro, D. Antonino, Suarez, Salas, Molina, Azor, & aliis, quos sequuntur Paqualigus dist. 86. & alii communiter.

15. Denique ex alio capite probant nonnulli, Curatum posse eligere confessorium non approbatum ab Ordinario; nimirum ex consuetudine legitime introducta. Ita videntur sentire Vega 1. part. Sum. cap. 75. Ubi sic: *Dize bien Ledesma, que los Curas, por la costumbre que ay, pueden elegir para si Confesores, los quales los puedan absolver, sino es de los casos reservados. Y yo sé auer puesto en practica un Cura doctissimo la opinion de Margarita, y de Panormitano (sup. num. 7.) fundandole en esta costumbre, que dize Ledesma que ay. * Et expresse hanc sententiam, non solum quoad Parochos, sed quoad alios etiam Sacerdotes, tenet M. Dominicus de Soto in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. §. Similiter & omnes. Ubi ait: *Curati non sunt Prælati, & idem in proprium Sacerdotem habent solum Episcopum, quamquam consuetudine habeant, ut possint sibi eligere confesores, præterquam à casibus reservatis. Quin verò & universi simplices Sacerdotes eadem gaudent facultate, ut sibi promiscue quemcumque eligant Sacerdotem; quapropter & cuicumque de Religiosis confiteri possunt, quamquam huiusmodi Religiosus, nec sit expositus ab Episcopo, nec à suo Prælato. * Sic post Tridentinum M. Sotus in editione Methynæ à Campi, quætor, anno 1579. Cui consentit novissime Vincentius Baronius ejusdem instituti in Manuduct. ad Theolog. moral. par. 2. contra Amadeum Guimenium, disput. 2. sect. 3. fol. 245. Ubi sic. * Absit, ut Curati jus auferam, quod illis reverà confert Pa-

Pars II.

normitanus, & Soto relatus ab Amadeo, appositam tamen hac, quam tacet, conditione; si Episcopi videant subditos promiscue sibi eligere confessarios, & stiant. Hoc enim silentio, addita consuetudine, censentur consentire, & facultatem permittere. * Sic ille, sed immerito Amadeum reprehendit, quod conditionem à Soto appositam tacuerit: non enim conditionaliter loquutus fuit Soto, sed absolute. * Cum præfati (inquit) superiores videant subditos promiscue sibi eligere confessarios, & stiant, connivere censentur, eademque permittere facultatem. * Concedit ergo illam Parochis, quia superiores vident, & silent; quo silentio consuetudo firmatur, & facultas eligendi non approbatum, non ex nuda consuetudine, sed ex tacito consensu Episcopi continuatur. Omitto Baronium testari, se cum Panormitano sentire: hunc autem concedere Parochis ex iure facultatem eligendi confessorium, quæ Episcopis competit, constat ex dictis supra num. 3. & 15. quapropter nec tacitum Episcopi consensum desiderare debet, sicut nec Panormitanus desiderat. Nec dissentiret conclusioni M. Sotus, si antecedens concederet, quia dist. 18. q. 4. art. 3. vers. Postremum dubium, expresse asserit eos, qui habent facultatem eligendi confessorium idoneum, sive per Pontificium diploma, sive à Parochiali Sacerdote, posse eligere quemcumque Sacerdotem etiam si nec beneficium Parochiale habeat, nec per Episcopum sit expositus. Quod post Concilium Tridentinum à tanto Doctore assertum minor Nec potest de tempore dubitari, quia comprobatur testimonio ipsius, dist. 15. q. 1. artic. 2. vers. Et ad majorem. Ubi Tridentinum Synodum refert, ejusque auctoritate se protegit.

16. Quod autem Sacerdos sufficienter censeatur approbatus ad confessiones audiendas, per licentiam tacitam Episcopi, est communis Doctorum sententia; & ratio est efficax, quia, ut constat ex superius dictis, consensus tacitus superioris est sufficiens dare jurisdictionem: ergo & approbationem: consequentio est evidens, quia hæc est de jure humano, post Tridentinum introducta: illa verò ex divino, ut inferunt communiter ex cap. si Episcopus, supra citato: ergo si Episcopus videat, vel sciat Curatos, vel simplices Sacerdotes eligere confessorium non approbatum, & eis non contradicat, cum facile possit; eo silentio, electum sufficienter approbat, & iudicium de sufficientia confessoris eligenti committit; nam qui tacet in his, quæ ad ipsum pertinent, & in quibus tenetur contradicere, consentire videtur, ex regula juris 10. in 6. Sic Sylvester, Soto, Becanus, Henriquez, Homobonus, Toletus, Fagundez, & alii, quos citatos sequitur Diana 3. part. tract. 4. resol. 68. Thomas Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 35. nu. 20. & 21. Joannes Sancius in Selectis, disp. 44. & plures alii, quos citat, & sequitur Bossius de iubilæo, sect. 3. casu 2. §. 4. num. 135. Bardi in Bullam, tract. 5. cap. 1. sect. 9. à num. 120. & P. Mendo in Bullam, disp. 22. cap. 11. num. 11.

17. Difficultas ergo solum est, an de facto talis existat consuetudo: illa enim, quæ ante Concilium Tridentinum existit, per ipsum fuit revocata, illis verbis: Privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus. Ergo si post Tridentinum de novo inducta non fuerit, nequebunt Curati ex hoc capite excusationem præterdere: ac proinde ex nullo.

(†:)

Ii

§. II.

S. II.

Iudicium Authoris.

18. **N**ullus secularis, licet Sacerdos, aut Parochus, potest post Tridentinum eligere confessorium non approbatum ab Ordinario. Ita P. Gaspar Hurtado de Penit. disp. 10. diff. 13. Ubi postquam diff. 12. recensuit eos, qui vel ex jure, vel ex consuetudine possunt sibi eligere confessorium absque licentia proprii, inter quos numeravit Parochos, & omnes alios Sacerdotes, etiam simpliciter; statim sequente, diff. 13. citata, inquit; * an habentes facultatem eligendi confessorium, possint eligere Sacerdotem simplicem, & non approbatum? Et respondet negativè; his verbis. * Certum est post Tridentinum, non posse à poenitente seculari eligi in confessorium nisi Sacerdotem, qui vel sit Parochus, quamvis aliàs alienus, vel qui sit approbatus ab Ordinario: quia in Tridentino sess. 23. cap. 15. decernitur, nullum posse audire confessiones secularium, nisi approbatum ab Ordinario, vel habentem Beneficium Parochiale. Sic Hurtado, à quo decreto solum excipit Religiosos, circa quorum confessiones, nil Concilium innovavit, ideòque cuiusque Sacerdoti non approbato ab Ordinario, nec Beneficium Parochiale habenti, possunt modo, sicut ante Concilium, de licentia tantum suorum Prælatorum valide, & licitè confiteri, ut docent communiter Theologi. Suarez disp. 28. sect. 4. num. 3. Vazquez quest. 93. art. 3. dub. 3. Lugo disp. 21. num. 2. Diana 3. part. tr. 2. ref. 3. & 30. & part. 8. tr. 1. ref. 86. Thomas Hurtado tom. 2. resol. mor. tr. 12. cap. 1. §. 2. dub. 5. num. 2071. & plures alii, quos citatos sequitur Leander à Sacramento, tom. 1. tr. 3. disp. 11. q. 45.

19. Hanc exceptionem extendunt aliqui ad Equites militares D. Joannis, D. Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ. Sic Leander ubi supra cum Joanne Santio in selectis, disp. 49. num. 10. 11. & 13. subnectens quest. 47. ita debere sentire omnes, qui affirmant prædictos milites esse verè Religiosos. Et in terminis posse sine scrupulo confiteri seculari Sacerdoti non approbato per Episcopum, ait Thomas Hurtado sup. num. 2072. Et ita docere Ricium, Vidal, Novarium, & Martinum à sancto Josepho, refert Diana part. 10. tr. 16. resol. 76. Quorum opinionem de jure veram esse, licet consuetudo sit in contrarium, dicit ipse Diana ubi supra, & prædixerat par. 8. tit. 7. ref. 95. cui subscripsit P. Amicus tom. 8. disp. 15. sect. 3. n. 97.

20. Sed quidquid de his sit, nullum Sacerdotem, etiam Regularem, posse secularium etiam Sacerdotum confessiones, post Tridentinum excipere, quin Beneficium Parochiale habeat, aut Episcopi approbationem, ut omnino certum supponit Gaspar Hurtado ubi sup. diff. 13. citata; & esse in Tridentino definitum, ait P. Vazquez tom. 4. in 3. part. quest. 93. art. 2. dub. 5. num. 5. * Post Concilium inquit, jam certissimum est, neque ex generali, neque speciali commissione, concedi posse licentiam eligendi confessorium non approbatum ab Episcopo: quod definitum est in Tridentino sess. 23. decreto de reformat. cap. 15. &c. ea ergò deficiente (approbatione) definit Concilium non esse ullum Sacerdotem idoneum ad judicandum, & absolvendum in hoc Sacramento. * Sic Vazquez quem se-

quitus est Gaspar Hurtado verbis ex illis dicit n. 18.

21. Quapropter animadvertere hic non erant recentiores quosdam quaestiones diversas contentientes, Doctores Gaspar Hurtado impolita sententiam asserentem; Parochum post Tridentinum posse sibi eligere in confessorium Sacerdotem simplicem non approbatum ab Ordinario: cum consuetudine solum concessit facultatem eligendi: æquiparat enim ibi Parochos habentes privilegium Bullæ Cruciatæ, quoad electionem confessorii, pro non reservatis. Ideoque diff. 13. præmam facultatem ex consuetudine illis concessit, secundam verò expressè negat diff. 13. non solum Parochis, sed quibusvis etiam Prælati, & Episcopis secularibus; quibus ex cap. Negro dilatus de test. & remis. facultas eligendi confessorium primum, & discretum conceditur. Quia post Tridentinum nullus talis censetur nisi ab Episcopo approbatus, vel Beneficium habens Parochiale. Quod docet Suarez disp. 28. sect. 4. num. 7. Card. de Lugo disp. 21. sect. 1. num. 3. Navarrus, Ricius, Barbosa, Fillius, Azor, Fagundez, & plures alii, quos citatos sequitur Diana 3. part. tr. 2. resol. 3. Pasqualig. disp. 6. de Leander ubi sup. q. 28.

22. Quà verò certitudine id tenendum? Quod est difficultas. Sed quoad Parochos novissimam decisionem habemus ab Alexandro Septimo die 14. Sept. anno 1665, qui hanc propositionem: *non Beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in confessorium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*, damnavit ut minimum ut scandalosam, & subpotina excommunicationis prohibuit. Unde nemini in posterum similem confessorium eligere licuit nec prætextu alicujus privilegii ex jure libi competentis; nec ex consuetudine tacito superiorum consensu continuata. Et quidem, ut à viris doctissimis accepi, nunquam post Tridentinum in Hispania talis consuetudo viguit.

23. Ex quibus inferitur primò, falsam esse opinionem M. Petri de Ledesma, & aliorum, quos sequutus est Thom. Hurtado ubi sup. num. 12. asserentem posse Parochum post Tridentinum ad confessiones subditorum excipiendas, simplicem Sacerdotem, ab Ordinario non approbatum exponere. Ratio aperta: quia si aliis posset, illum sibi eligere videret, ut in confesso est apud omnes; sed sibi eligere non valet, ut constat ex decreto Alex. VII. ergò illa sententiam præfatam Petri de Ledesma, jam dicitur improbabilem rejecerunt P. Suarez disp. 28. lib. 4. num. 11. dicens: * neque tutam, nec practicè probabilem sibi videri, & apertius P. Fagundez, præsecundo lib. 7. cap. 2. num. 43. Joannes Sancius in opusculis disp. 48. nu. 11. Caspensis in cursu theologiae, tom. 1. tr. 24. disp. 5. sect. 7. n. 64. Martin. de S. Joseph in monitis confess. tom. 1. lib. 1. tr. 24. de Penit. num. 5. quos citatos sequitur Diana 3. part. tr. 4. ref. 146. & part. 10. tr. 16. ref. 75. & Petrus Fayin Addit. ad 3. p. 7. tit. 1. Ubi adducit declarationem Eminentissimorum Cardinalium Concilii interpretum. Cuius insistentissimè Illustrissimus Dominus D. Alphonsus de Liguori & Montenegro, in aureo suo itinerario pro peccatorum Parochis, lib. 1. tr. 7. sess. 1. num. 3. fol. 98. de præfata M. Ledesma opinione loquens, ait: * Vana se puede seguir esta opinion, ni ponerla en práctica, despues, que los Illustrissimos Cardinales declar-

tetor, que notienen los Curas facultad para aprobar Confesores en sus Beneficios. * Et quidquid sit de prefata declaratione, si nec ne authentica, conclusio certissima haberi debet, utpote necessaria consecutione deducta ex decreto Alexandri VII. ut supra expendimus. Quapropter sustineri ulterius non potest opinio M. Soti supra citati num. 15. in fine. ubi habentem facultatem à suo Parocho ad confirmandum alteri, docet posse eligere non approbatum ab Ordinario. * Et ratio, inquit, est, quia ad absolutum solum requiritur potestas ordinis, & jurisdictionis. * Quod aperte falsum est, nam post Tridentinum non est capax jurisdictionis, qui Beneficium Parochiale non habet, vel approbationem ab Ordinario, ut definitur Sess. 22. cap. 5.

24. Inferitur secundo, facultatem concessam Parochis in cap. Placuit, & cap. Omnes utriusque sexus, de penit. & remis. exponendi pro subditorum confessionibus, quemlibet Sacerdotem prudentis iudicio idoneum, absque alia approbatione, vel abrogata esse per Concilium Tridentinum, etsi illius mentionem non fecerit. Vel ut alii assunt, id necessarium non fuit ad novum hoc jus instituendum, quia Parochis non est ablatum privilegium, & facultas, quam habebant delegandi jurisdictionem Sacerdoti idoneo, sed Concilium declaravit, quis in posterum per confessarium idoneum (seu providam, & discretum, ut in textu dicitur) habendus sit. Quâ declaratione semel posita, nequit de cetero alteri jurisdictione delegari.

25. Præterquam quod, ut bene adnotat Cardin. de Lugo disp. 21. de penit. sect. 1. num. 6. hoc Tridentini jus potissimum fuit inductum, ne Parochi sua potestate abutentes, oves suas ineptis confessariis traderent, ut nonnulli fecerunt. Unde Concilii declaratio exceptionem hanc non patitur, alias inconveniens non occurrisset. Quapropter nullatenus audiri debet Thomas Hurtado ubi sup. tr. 12. cap. 1. dub. 1. num. 2028. dum ait; Concilium Tridentinum solum intendisse declarare, quid intelligatur per confessarium idoneum in Bullis, & privilegiis, quibus Summus Pontifex concedit facultatem eligendi confessorem idoneum, non verò quid intelligendum in iure canonico, quando in illo similis facultas concessa reperitur. Hæc enim interpretatio est omnino voluntaria, & extorta, & verbis Tridentini repugnans, quia universaliter decernit, nullum ad potestatem jurisdictionis, quoad secularium confessiones etiam Sacerdotum excipiendas, idoneum in posterum reputari; nisi approbationem ab Episcopis obtinuerit, ergo post Concilium nullus est capax accipiendi jurisdictionem delegatam, neque ex iure, neque ex Bulla, aut privilegio, si prefata approbatione careat. Ex quibus fit rejicienda prorsus sententia, asserentem Religiosos in jure reprobos ab Episcopo posse confessiones excipere. Quam post Trident. ausi sunt defendere Joannes de la Cruz de stat. Relig. lib. 2. cap. 6. dub. 1. & Thom. Hurt. tom. 2. qq. moral. tr. 12. cap. 1. num. 1887. & 1896. ex M. Soto in 4. disp. 18. q. 4. art. 3. Quam Dian. par. 6. tr. 7. ref. 60. testatur inter Doctores inclita Sorbona esse communiter receptam; cæterum sustineri in posterum non potest; quia ut scandalosa damnata, & prohibita est, ab Alex. VII. die 24. Sept. anno 1665.

26. Cum his verò rectè cohæret potestas Parochi, ad exponendum, pro suis ovis, quemcumque alium Parochum, vel Sacerdotem approbatum, etsi alias jurisdictione carentem. Est communis

Pars II,

Theologorum sententia; quia ad delegationem jurisdictionis acceptandam, quilibet prædictorum sufficientem habet approbationem, nec ad inconvenientia vitanda, major alia requiritur. Ita tradunt Suarez disp. 28. sect. 4. M. Candidus disquis. 24. art. 63. nu. 10. Fillucius, Toletus, Henriquez, Agidius, & alii, quos pro valida, & licita expositione alterius Parochi, refert Leander tract. 5. disp. 11. quæst. 58. item Navarrus, Trullench, Henriquez, Joannes de la Cruz, quos pro cujusvis approbati expositione, si vè ab Episcopo Diocesano, si vè ab alio quopiam Episcopo, refert & sequitur Leander ubi sup. quæst. 59. Quorum sententia valdè probabilis est, non verò certa, quia circa Episcopum à quo habenda sit approbatio, gravissima est inter Doctores controversia, de qua alibi.

QVÆSTIO III.

Dubia nonnulla occurrentia circa approbationem confessarii.

1. Cum certum nobis sit ex Tridentino, nullum, etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire; neque ad id idoneum reputari; nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, aut alias idoneus judicetur; dubitari potest, an Prælati Regulares, & superiores locales, Priores, Guardiani, Rectores, & similes ipso jure censeantur habere approbationem à Tridentino requisitam, ita ut absque alia Episcopi Diocesani, secularium confessiones virtute Bullæ Cruciatæ excipere possint. Pattem affirmativam sustinent, ex præclarissimo Dominicanorum cœtu, M. Mancius, M. Gallo, M. Medina, & M. Bannez, quos refert Henriquez lib. 6. cap. 6. num. 2. in gloss. litt. E. & F. Ubi sic: * Quartò addunt Mancius, Gallo, Fr. Medina, Bannez, & alii Dominici, Prælatus Monasterii æquatur habenti Parochiale beneficium, & est jure Ordinarius, & eligibilis per Bullam à secularibus, sine approbatione Episcopi. Hæc tamen in praxi sunt magis cogitanda. * Hæc Henriquez ubi supra, & iterum lib. 7. de indulgentiis, cap. 12. in gloss. litt. K. Quorum doctrina innuitur opinioni Cajetani in sum. verb. Excommunicatio, cap. 72. Ubi ait: Prælatum Regularem * esse Officiarium Ecclesiasticum, quod Beneficio æquiparari videtur. * Cui consensit Vincentius Baronius 2. part. Manuduct. contra Amadeum, disp. 2. sect. 5. fol. 272. Indequè cum Cajetano contendit, pecunia data ob prælatum regularem, & simoniam contrahi, & pœnas contra simoniacos in collatione Beneficii à jure impositas: consulo verò omittit Baronius illationem à præclaris Thomistis, ut supra deductam, quoad electionem confessarii virtute Cruciatæ, forsitan quia legitimam agnovit.

2. Quibus adde M. Barnabam Gallego in Bullam Cruciatam cap. 9. dub. 34. Ubi sic ait: * No puedo dexar de confessar, que me agrada mucho la opinion del P. M. Fr. Diego Nunno in addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. dub. 8. en la solucion del nono argumento; el qual dice, que tiene para si por evidente, que si se concede, que el Parocho, solo por serlo, sin otra aprobacion del Ordinario, es eligible por virtud de la Bula (lo qual no admite la Maestro Nunno) se hade conceder tamb. & que los Prelados de las Religiones, solo por serlo, sin otra aprobacion del Ordinario, pueden ser eligidos por la Bula. Y así lo ensennan los PP. MM. Man-

li 2

tio.

cio, Gallo, Medina, Bannez, y Juan Valero, Monge Cartujo (*in differ. utriusque fori, verb. Nullitas, diff. 5.*) lo tiene expressemente.*

3. Eandem sententiam Hieronymus de Llamas *1. p. Methodi, cap. 6. §. 6. & 7. pag. 63.* Ludovicus de S. Juan *q. 6. de penit. art. 6. dub. 4. pag. 467.* Brunus Castaing *de Privileg. Regular. p. 2. tract. 5. cap. 2. prop. 1.* Rever. P. Delgadillo *rom. de penit. cap. 19. dub. 34.* Et probabilem putant P. Salas *in manuscriptis.* Ludovicus à Croce *in expositione Bullae, disp. 1. cap. 2. dub. 11. n. 8.* Angelus Bossius *tract. de Iubileo, casu 2. §. 2. nu. 53.* Martinus de S. Joseph *in monitis confes. tom. 1. lib. 1. tract. 24. de penit. n. 19.* Zepedes *de exemptione Regularium. cap. 6. n. 141.* & Diana *5. p. tract. 12. ref. 52.* Et valde probabilem, & securam in praxi vocat Thomas Hurtado *tom. 2. resol. mor. tract. 12. cap. 1. ref. 34. dub. 2. n. 1868.* & sequentibus. Quorum ratio est, quia ex Tridentino approbatus est ad secularium confessiones, qui habet Beneficium Parochiale: Praelati autem Regulares, utpotè curam animarum habentes, Beneficium Parochiale habere censentur: poterunt ergo eligi virtute Cruciatæ, non minus, quam alii Parochi extraneam Parochiam.

4. Ceterum contraria omnino sententia tenenda est, quam cum Rodriguez, Fagundez, Tamburino, & Cardinali de Lugo, defendit P. Quintanaduenas *de Iubileo duarum hebdomadarum, cap. 1. P. Suarez, de Penit. disp. 28. sect. 4. n. 21.* Cast. idus *disquisit. 24. art. 64. n. 5.* P. Mendo *in Bullam, disp. 22. c. 2. n. 30.* Petrus de Ledesma *cap. 13. de Penit. diff. 4. & 6. post 1. conclusionem,* & alii communiter. Probatur, quia Praelatura Regularis, etsi curam animarum habeat, & subditis Sacramenta administret, non tamen est Beneficium Parochiale: hoc enim ex communi Theologorum sensu, est jus percipiendi redditus propter officium administrandi secularibus sibi subditis Sacramenta, & sepulturam, ex jurisdictione ordinaria in ipsos. Undè Parochus definitur, qui auctoritate Episcopi alicui Parochiali Ecclesiae est praefectus, ut plebi, seu populo, sacrum divini verbi, & Sacramentorum pabulum, ad pascendos animos, subministret. Quæ definitio Praelatis Regularibus non convenit, ut ex terminis patet. Undè quamvis Parochi aequiparari dicantur, eò quod in Regulares sibi subditos eam curam habeant, quam Parochi in populum sibi commissum, seu in seculares suæ Parochiæ; non idè ex hoc principio deduci potest, eam ex Tridentino approbationem, quoad secularium confessiones ipsis competere, quæ Beneficium Parochiale habuerunt, sed jam non habent, possunt adhuc eligi virtute Cruciatæ, eò quod approbatio, quæ Parocho simul cum Parochiali Beneficio concessa fuit, adhuc perseverat, & sola jurisdictio cessavit (ut docent Manuel Rodriguez *in addit. ad Bullam, §. 9. nu. 4.* Villalobos *tom. 1. tract. 27. claus. 9. §. 1. n. 4. & tract. 9. de Penit. diff. 55. n. 4.* Et Basilus de Leon, quem refert, & sequitur P. Mendo *in Bullam, disp. 22. citata, cap. 2. n. 34.* Acolta *in explicat. Bullae, q. 39.* Petrus Fay *in addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. disp. 3. concl. 4. ad 3.* Thomas Hurtado *tom. 2. tract. 12. cap. 1. resol. 34. dub. 3. nu. 1878.* Et putat probabile Joannes de la Cruz, *part. 2. de Penit. quaest. 5. dub. 8. conclus. 4.* ita similiter Praelati Regulares, qui semel superiores locales alicujus Conventus extitissent, possent de cætero, postquam suo munere functi sunt, ubique eligi virtute Bullæ Cruciatæ, quod in nullius viri docti mentem venire potest.

5. Secundò probatur, quia si Praelati, vel supe-

riores locales Regularium venient nomine laicorum Beneficium Parochiale, in decreto Tridentino, eò quod Parochis, quoad animarum suorum curam, aequiparentur, eodem prioris iuramento dici deberet, sub Episcoporum voce, & quibus Concilium approbationem obtinendam assignavit, venire etiam Generales, & Provinciales hujusmodi Praelati Episcopis aequiparantur: nam nemo, nisi temerè, dicere audebit, Generales, vel Provinciales Religionum posse post Tridentinum sibi subditos approbare quoad secularium confessiones: ergo quoad rem hanc, sicut illi non veniunt in Concilii decreto, Episcoporum nomine, ita neque illi, Parochorum.

6. Tertiò probatur, quia si superiores locales ipso censerentur habere approbationem, quæ habentibus Parochiale Beneficium ex Tridentino competit, sequeretur manifestè, ejusmodi Praelatis abque nova Episcopi approbatione, secularium confessiones audire posse, etiam si penitus tale privilegio per Bullam Cruciatam, vel Iubileum sibi concessio, quoad electionem confitentium potuerunt. Ratio est aperta, quia Regularibus approbatis juxta formam Tridentini summi Ecclesiæ Pastores jurisdictionem in omnes Christianos delegarunt: ergo ejusmodi superiores locales, cum nec approbatio sufficiens, nec jurisdictio delegata deficiat, poterunt ubique abque alia approbatione secularium confessiones audire. Consequenter hoc est necessaria, quam idè, juxta sua principia, tenuerunt ex Doctoribus supra citatis M. Mancius, Gallo, Medina, Bannez, Joannes Valero, & putant probabilem Martinus de S. Joseph, Thomas Hurtado, Zepedes, & Diana.

7. Verum horum Doctorum sententia latè non potest, maxime post Bullam Innocentii X. in causa Angelopolitana edita die 9. Martii 1686. in qua in responsione ad nonum dubium, sic dicitur. * Nonò, utrum Regularis quicumque, cum societatis Jesu possit administrare Sacramenta Poenitentiae secularibus abque licentia Episcopi Diocesani, si in aliena Diocesi approbatus sit: Respondetur, Regulares, etiam societatis Jesu, in una Diocesi ab Episcopo approbatos, ad confessionem personarum secularium audiendas, nequaquam posse in alia Diocesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Diocesani. * Et verbis per legitimam consequentiam ducuntur: Primum, superiores locales conventuum in Diocesi Toletana, nequire in alia Diocesi, ab Episcopi approbatione confessiones secularium audire, quod est contra Doctores supra citatos. Secundum, Regulares nullibi posse eas excipere ab Episcopi Diocesani approbatione. Atque Praelati majores Generales, & Provinciales, qui legem localem constituunt, & electione ipsa aliorum subditorum curam idoneum declarant, sunt Episcopi Diocesani: ergo praefati superiores locales non habent approbationem requisitam, jurisdictio ad secularium confessiones excipienda à Pontifice delegata censetur.

8. Dices pro adversariis, Bullam Innocentii X. non obstat, quia ejus mens solum fuit, non Regulares quicumque in una Diocesi approbatos, posse virtute suorum privilegiorum, in alia abque nova Diocesani approbatione, seu licentia, secularium confessiones audire, ut constat ex dubio propo-

verbis illis. *Utrum Regularis quicumque* : rectè autem
cohereret, non quicumque Regularè id posse,
sed Prælatos tantùm. Respondeo decisionem dubi
nullum Regularè excludere ; quod faciliè ex illa
evincitur, quia superior localis unus conventus et
suffraganeus majorem approbationem habere ne
quit, quam quicumque alius doctus Regularis ab
Episcopo approbatus, sed hic non potest in alia Di
ocesi quælibet nova Episcopi Diocesanæ approbatione,
reluctentia, secularium (scilicet qui privilegio Bullæ Cra
ciatæ non fruuntur) confessiones audire, ut decernit
Innocentius X. ergo neque ille. Roboratur ex Tri
dentino *sess. 23. c. 15.* ubi nullum Regularè ab Ep
iscopi approbatione ad secularium confessiones
idoneum reputari decernit : quod cum nullum exci
piat, nec differant inter Prælatos, et alios Regular
es constituat, eadem pro omnibus statuta est lex. I
dem nullum Regularè, cujuscumque gradus, et
dignitatis existat, posse secularium confessiones ex
cipere, ab Episcopi Diocesanæ approbatione, est commu
ni Doctorum sententia, quam tenent Suarez, Rod
riguez, et alii, quos referunt, et sequuntur Diana
2. p. *tract. 16. ref. 46. c. p. 8. tract. 1. ref. 86.* Card. de
Lugo *disp. 1. sect. 1. nu. 10.* Granado *tract. 10. disp. 5. n.*
5. p. Bardi *in Bullam, tract. 5. cap. 2. sect. 1. n. 6. p.* Men
dozam *Bullam, disp. 22. cap. 2. n. 30.* et alii,

g. III.

*Quid de Graduatīs in Theologia, vel
in jure?*

9. **R** Ogabis, an Concilium Tridentinum in suo decreto de approbatione ab Episcopis requilita pro secularium confessionibus, comprehendit Sacerdotes graduatos in Theologia, aut iure Canonico? Negative respondent doctissimi PP. Magistri Salmanticenses ex Ordine Prædicatorum, Mancius, Gallo, Medina, Bannez, apud Henric. lib. 6. cap. 6. n. 2. in *gloss. litt. E. & F.* quos sequutus est Llamas i. p. *Method. cap. 7. §. 7.* Et Thom. Hurt. eorum sententiam probabilem vocat, imò & valde probabilem *rom. 2. res. moral. tract. 1. c. 1. dub. 1. n. 1866. & seq.* Cujus ratio (inquit Hurtado) est: * nam quamvis non possit eligi, nisi approbatus ab Episcopo, *vel qui aliis ab eo judicentur idonei*; eo tamē ipsi, quod Episcopo confert, talem esse laura Doctōratus insigni, tum, judicatur ab eo idoneus, & si non eo ipso confertur iurisdicō. * Ex quo principio cum præcitas Magistris censet, præfatos laureatos (imò & lectores in Theologia, aut egregium Prædicatorum publicum, ut inquit Dominicus citati) absque Episcopo approbatione posse eligi in confessoris virtute Bullæ Cruciatæ, vel Jubilæi. Pro qua opinione refert Emanuel Rodrig. in *addit. ad Bullæ explicationem, §. 9. n. 4. vers. Ala qual duda*, Gutierrez lib. 1. *Genitarum, cap. 17. n. 22. usque ad 27.* Henric. lib. 6. *de Penit. c. 6 §. 1. Variis modis, Ludovicum à Cruce, disp. 1. c. 2. dub. 6. Trulench in expositione Bullæ, lib. 1. §. 7. cap. 1. dub. 4. n. 5. & Valerium in diff. verb. Nullitas, differentia 5. num. 3. vers. Sexto fallit in fine.*

10. Sed miror Thomam Hurtado ausum fuisse, hanc sententiam valdè probabilem vocitare in *prima editione Lugdunensi* anno 1651. cum ignorare non potuisset, per sanctum Inquisitionis Tribunal expunctam fuisse ex Hieronymo de Llamas in Expurgatorio.

anno 1640. Præter quam quod est contra Bullam
Pi V. expeditam anno 1771. octavo Idus Augusti, in
qua decrevit, & declaravit, decretum Concilii Tri-
dentini de approbatione Regularum, ad audienda
secularium confessiones ab Episcopis faciendâ * ob-
servari debere in omnibus Regularibus, etiam si sint
Doctores, aut in Theologia ex superiorum licentia
graduati, vel promoti.*

11. Idem contraria prorsus sententia tenenda est contra communem Doctorem. Ita Suarez *disp.* 28 *sect.* 4. n. 3. Petrus de Ledefma *cap.* 12. *post §. concl. pag. mibi* 419. Filiucius, Lugo, Layman, Boslius, Tamburini, Lezana, Barbosa, Molfesius, Machado, Balsaeus & alii, quos referunt, & sequuntur M. B. rnasas Gallego in *Bullam*, *cap.* 9. *dub.* 92. Leand. à Sacram. *tom.* 1. *tract.* 7. *disp.* 11. q. 48 & 50. & M. Hyacinthus Donatus *rom.* 4. *addit. ad practicam*, *tract.* 4. q. 3. Et oppositam sententiam esse improbabile dicunt Fagundez 2. *praecept.* Eccles. *lib.* 7. *cap.* 2. n. 67. & P. Menéndez in *Bullam Cruciatam*, *lib.* 22. *cap.* 10. n. 109. quorum censura mihi placet. Ratio est aperta, quia ad confessiones secularium excipiendas, est conditio, sine qua non, quod Sacerdos pro examen, aut alias ab Episcopo judicetur idoneus: stare autem potest, aliquem esse Doctorem, vel insignem Praedicatorum, & tamen idoneum ad confessiones ab Episcopo non iudicari: tum, quia non omnes graduati, ut ait M. Donatus supra, sunt Doctores, quamvis dicantur Doctorati; tum, quia aliud est, esse Doctorem in Theologia speculative, & aliud in casibus moralibus. Tum, quia licet quis in doctrina non deficiat; pravis tamen moribus imbutus esse potest. Secundo probatur, quia iudicium Episcopi (vel iurisdictionem Episcopalem habentis) de idoneitate Sacerdotis secularis, vel Regularis, ad secularium confessiones, debet exterius verbo, vel scripto manifestari: est enim velut sententia lata de sufficientia confessori, quia, licet iniuste, negata nullus Sacerdos secularis (ut fatetur Thom. Hurt.) reputatur ad confessiones idoneus: ad hoc enim requirit Concilium, quod de idoneitate approbationem obtineat, privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus. * Doctorati autem seculares, nec virtute privilegiis, unquam poterunt abique approbatione Ordinarii confessiones secularium excipere: Regulares vero, iure antiquo, approbatione iniuste denegata, eo ipso approbati censentur. Videatur Leander ubi supra, *disp.* 11. q. 83. ubi communis contra communem. Post Tridentinum res aliter se habet, ut dixi *lib.* 2. n. 5. ubi contrariam gravium Doctorum sententiam, et scandalosam damnatam notavi. Tenendum ergo est tantum omnino certum, post Concilium Tridentinum, nullum Sacerdotem, etsi graduatum in iure Canonico, vel Theologia, posse eligi virtute Bullae Cruciatæ, vel Jubilei ad secularium confessiones, quin ab Episcopo D. ocesano, ut supra dictum est, approbationem obtineat, quia Concilium omnes comprehendit.

12. Nec Doctores, quos pro contraria sententia (quam valde probabilē putat) adducit Thom. Hurt. suprà, fideliter refert: illi enim, quos mihi consulerē licuit, oppositum expressē asserunt. Et in primis P. Henr. quez lib. 5. cap. 6. §. Variis modis, quo citatur ab Hurtado, nil de hac re numero autem secundo præcedenti, ubi quætionem attigit, sic ait: * Nec potest vir, quantumvis habeat testimonium spectatæ doctrinæ, secularis, aut Regularis, etiam Doctor, aut Prælector Theologiæ, & Canonum, sine

QVÆSTIO IV.

*Utrum confessorius, qui ex ignorantia
tibi, seu graviter culpabili, non pœni-
tenti restitutionem, ad eam, qui
non restituente, maneat ob-
ligatus?*

Negativam sententiam defendit Gaspar
Hispanus in addit. ad sam. Caput ubi
Duaci anno 1613. verb. Restitut. fol. 67. ubi
fol. mibi 227. in editione Valentini anno 1643. ubi
* De confessoribus, qui tacent, & non pœni-
tentiibus ut restituant, quæ restitutione tenetur,
&c. si tacent ex ignorantia crassa, & obsti-
ta, inquit Navarrus, manere obligatos ad restitu-
endum. P. Lessius hoc limitat ad eos, qui ex omni-
ram habent animarum, ut sunt Episcopi, & Pa-
ruchi: nam Religiosi non tenentur, &c. Sed neque
neque illos ad restitutionem teneri, etiam si cul-
pabiliter omiserint obligare pœnitentem ad restitu-
endum, multorum est sententia, quos refert & laqueat
Diana 1. p. tr. 2. m. 6. ref. 1. Nam confessorum non
tenetur ex iustitia prospicere temporalibus creditum
bonis, cum ab eis mercedem non accipiant: sed solum
tenetur ex charitate, & religione, procurare totam
spirituale pœnitentis, quod si negligat, non obli-
gatum illum ex ignorantia vincibili ad restitutionem,
peccabit quidem contra religionem, sed non contra
iustitiam, sicque non tenebitur ad restitutionem,
nisi forte illi consulat ut non restituat, nam tunc
consulens ad restitutionem tenebitur, juxta dictam
conclusionem secundam. * Hæc M. Serra. Hæc
tentiæ fundamenta paulo antea ipse jecerat, contra
nonnullos asserentes, ex violata charitate, contra
obligationem restituendi, eo quod indirec-
te in iustitiam damnificationis proximi. Quos respicit
scriptis verbis M. Soti 4. de iustitia, quæst. 7. art. 2. U-
bi sic: Melius tamen Sotus, & reliqui negant, in illa
Soto ubi supra) persistendum namque est in illa
asserente regula, quod sola contaminata charitas, violen-
tia violatur, necessitatem restitutionis non inducit.
Sotus: quem sequitur Serra, ubi supra de cent. cau-
sam indirectam injuste damnificationis non tenet
restituere, nisi ex iustitia sit obligatus ad restitu-
endum. * Ex quo principio, ut vidimus, confessorum
non obligantem pœnitentem, ab onere restituendi
eximit: cujus proinde sententia, Doctores contra
præmissis inherentes assenti debent. Ideoque non
tuentur Suarez, Rebellus, Gaspar Hurtado, Lessius
Thomas Sanchez, & alii, quos sequuntur Du-
par. tr. 16. ref. 1. & Leander à Sacramento. tom. 2.
de Pœnit. disp. 11. quæst. 138. Quibus adde Filippum
tom. 1. tr. 7. cap. 12. quæst. 7. num. 634. Egidium de
gram. disput. 8. dub. 17. num. 144. Bonacinum de
disp. 1. quæst. 2. puncto 11. num. 13. Maldenium 2. 2. 2.
cap. 3. dub. 24. Reverendiss. P. Delgadillo tomo 1. de
nit. cap. 19. dub. 43. Et Fr. Franciscum à Jesu Maria,
Carmelitanum Excalceatum, & in Religiosis
Ordinis bis Dissinctorum Generalem 1. part. cap. 1.
Theologia Morali tr. 6. de Pœnit. cap. 12. punct. 4. fol. 14.
quos sequitur Marcus Vidal in Arca salutaris, tr. de Sacra-
pœnit. inquis. 12. num. 7. & 8. dicens esse communem
2. Quo

prædicta approbatione Episcopi censi idoneus,
& eligibilis ab alio Parocho per Jubilæum, aut
Bullæ privilegium. * Hæc Henricus quibus ut pa-
tet contra Hurtado aperte pugnat. Pro ejus verò
sententia in gloss. lit. E. Patres Dominicani supra ci-
tatos, & Doctores alios adducit, dicens: * At
Mancius, Gallo, Fr. Medina, Bannez, Sebastianus
Perez Episcopus Oxomensis, Doctor Petrus Marti-
nez Complutensis ajunt, idoneum esse jure Licen-
tium in Theologia, aut Canonibus, quia Acade-
mia jam nomine Papæ examinavit, & Lector Theo-
logiæ, aut egregius Prædicator publicus. * Insu-
per infideliter etiam refert Hurt. pro sua sententia
Egidium Trullench. in expos. Bullæ lib. 1. §. 7. cap. 1. dub.
4. n. 5. quia ibi nil de hac quæstione. Illam verò ex-
agitat dub. 1. nu. 6. & ab impostura se purgat apertis-
simis verbis, dicens: * Concilium expresse requirit
approbationem factam ab Episcopo, ita ut non suf-
ficiat, quod quis sit Doctor in Theologia, vel jure
Canonico; aut quod communi consensu judicetur
ad istud munus idoneus, quia voluit Concilium ta-
lem approbationem ex jurisdictione, & judicio E-
piscopi pendere, sicut pendet Parochorum institu-
tio, omnemque exceptionem exclusit, cum simpli-
citer dixerit: Nullum etiam Regularem, &c. adeo ut
nemo ratione doctrinæ, aut sanctitatis, aut dignita-
tis cujuscumque excipiendus videatur, nisi habeat
Parochiale Beneficium. * Hæc Trullench.

13. Denique non nisi per summam calumniam
pro sua sententia adduxit Thomas Hurtado, Ema-
nuel. Rodriguez in addit. ad Bullam Cruciatæ, §. 9. m. 4.
ibi enim solum asserit, approbatum ab Episcopo ut
idoneum, non censens jurisdictionem, posse eligi
virtute Cruciatæ, vel Jubilæi, quidquid alii con-
tradixerint. Verba ejus sunt: * A la qual duda
se responde, que basta la dicha aprobacion, co-
molo dize Cano, al qual sigue Gutierrez, y otros
hombres doctos, porque la Bula, y el Concilio
Tridentino solamente pide, que el Confessor sea
aprobado: y el juzgar a uno por idoneo, y apto
para confesar, es una muy verdadera aprobacion:
por lo qual el aprobado desta manera puede por
virtud de la Bula confesar, & por virtud de otro
privilegio, o costumbre de jurisdiccion actual. *
Hactenus Manuel Rodriguez de aprobado ab E-
piscopo, non commissa Episcopali in suas oves ju-
risdictione; ubi nec verbum de quæstione præsen-
ti pro Doctoratis in jure Canonico, vel Theolo-
gia, quos neque hic, neque alibi, jure ipso ap-
probatos, & per Bullam Cruciatæ eligibiles tradi-
dit. Authores alios, quos pro se allegat Hurtado
videre non licuit, forsitan non meliori fide illos ci-
tat. Nec ejus sententia sustineri potest, sed
potius ex ipso, sicut ex Llamas juxta præ-
scriptum Expurgatorii indicis ex-
pungenda est.

(†:)

2. Quorum unum est fundamentum ex doctrina subtilis Scoti, M. Soti, & aliorum ubi supra petitur, & à M. Serra probatum, nempe obligationem restitutionis solum oriri ex violatione iustitiæ contra personam damnificatam, confessarius autem ex officio, vel nulli ex iustitia, vel soli pœnitenti tenetur, non illius creditoribus, quia non temporalibus istorum bonis, sed spiritualibus illius, ex officio prospicere debet. Et sic in terminis tradit Card. de Lugo *disp. 22. §. 3. num. 67.* dicens: *Quod est communis jam sententia; & plures pro illa referunt*

S. I.

Animad-versio in Baronium.

3. His prædictis, Vincentius Baronius in opere contra Amadæum, *disp. 2. sect. 3. fol. 244. in fine*, nullum invehitur, dicens: **Immerito prædicta quæsiisse ex M. Serra, & ex Gaugericio Cajetani interpretare, quia hi auctores eam non tuerentur.** Sed aperte fallitur: ut constabit legenti verba M. Serra supra data, *num. 1.* Et quæ ex Gaugericio, ubi supra citato subnecto. **An ergo, inquit, confessarius non injungens pœnitenti restitutionem, ubi debet, teneatur ipsam restituere, &c. Navarrus affirmat sequutus Rosellam, & Angelum. Idem Toletus: sed videtur distinctione opus esse. Vel enim confessarius habet se merè negativè circa restitutionis injunctionem, sicut mutus: & sic non videtur obligari per illam tacentiam, etiam si sponere, & ex malitia omittat consulere. Quia mutus, ut hic docet author (nempe Cajetanus) non tenetur restituere, nisi quando debet consulere ex officio, sive (quod idem est) ex iustitia. Confessarius autem etiam si aliquando tenetur admonere pœnitentem ex iustitia, tamen iustitia illa non est respectu terti, qui dampnum patitur, sed dumtaxat respectu pœnitentis.** Sic ibi. Quoad hos ergo auctores non potuit apertius Baronius de falsitate convinci. In reliquis autem sic infurget. **Incredibilis esset temeritas, & audacia, futilibus nescio quibus distinctionibus, unde onus restitutionis reperatur, ab illo liberare Sacerdotem, quod soli pœnitenti, quoad bona spiritualia sit ex officio adstrictus, etiam si suo (attende) non solum silentio, quod satis grave peccatum est, sed etiam suo consilio, causa sit damni à pœnitente illati aliis, &c. Quis neget confessarium hujus consilii auctorem, si inde pœnitens credat se ab hoc onere restitutionis exemptum, ut non sit à Sacerdote monendus sui officii, vel restitutionis, loco pœnitentis à confessario faciendæ? Qui hoc negaverit, nescio an ullum sit admissurus juris naturalis principium.** Sic Baronius.

4. O felix homo, nullus tibi hostis. Ubi apud Amadæum citatum inveniisti auctorem illum assententem, eum qui suo consilio eximit pœnitentem ab onere restitutionis, ad quam teneri censeri, seu quempiam alium, qui sic est causa damni aliis illati, non manere ejus loco adstrictum restituere? Nullibi profectò: quia hoc delirium in nullius mentem venit. Et quod in Baronii, valde miror, cum ipsemet ubi supra opinionem ab Amadæo ex aliis excerptam referens, sic scribat. **Eximit ab omni restitutionis onere confessarium, qui ex ignorantia vincibili, pœnitenti non injungat restitutionem bonorum, quæ injustè possedit. Non ergo de confessario consulente omissionem restitutionis, sed de non præcipiente pœnitenti restitutionem, ad quam tenetur, quæstio procedit. Hunc autem ab*

omni restitutionis onere exemptum esse, docent M. Serra, Gaugericus, & reliqui Doctores citati, ut eorum collatis locis apertissimè constat. Omnes verò uno ore, & calamo uno, confessarium consulentem pœnitenti, ne restitrat, si ex ignorantia culpabili errorem commiserit, ad restituendum, ejus loco, obligant, utpotè iustitiæ violatorem. Aliud enim est consulere dampnum, aliud non impedire: illud contra iustitiam esse, omnes fatentur, ideoque & obligationem restituendi. Istud verò in non obligato ex iustitia ad impediendum (ut in hoc casu, secundum citatos auctores, contingit) soli charitati, aut religioni opponitur. Quo semel statuto, constans est apud fere omnes conclusio, in cuius præsidium, ut verbis, fideliter exscriptis, ostendi, meritò vocati sunt M. Serra, Gaugericus, & reliqui supra citati. Quæ ergo Baroni, auctores illi sunt, quos incredibilis temeritas, & audacia insimulas? Qui, quos criminalis, quod futilibus distinctionibus ab onere restitutionis liberent Sacerdotem, qui non solum silentio, sed etiam suo consilio causa sit damni à pœnitente illati aliis? Nulli profectò. Uquid ergo hostem hincisti? Ut calumniam instrueres? Apage.

S. II.

Probabilior sententia.

5. Quamvis valde mihi probabilis sit opinio M. Serra, & aliorum eximentium ab omni restitutionis onere, confessarium, qui ex ignorantia graviter culpabili solo silentio est causa indirecta damni illati, seu non impediens, cum posset admonendo pœnitentem de obligatione restituendi, qua tenetur: nihilominus contraria sententia probabilior videtur, quam tenent M. Nugnus in *Addit. ad 3. part. tom. 2. q. 8. art. 4. dub. 4.* Zanardus in *direct. præcept. 7. cap. 26. dub. 3.* Sylvester, *verb. V. supra 7. q. 2. in fine.* Ubi ait teneat ad restitutionem confessarios absolventes eos, qui tenentur restituere, si ex denegatione absolutionis fuisset facta restitutio. Et Navarrus in *manuali, cap. 17. num. 22.* Qui ait confessarium tacentem ex ignorantia crassa, & affectata, manere obligatum restituere, si pœnitens non restituat. His acquiesco, nam quando ex circumstantiis constat pœnitentem ignorare, vel dubitare de obligatione restituendi; silentium confessarii æquale est consilio, seu sententiæ eximenti pœnitentem ab onere restitutionis: se etenim habet, ac si expresse diceret: *Non teneris restituere*, & indocti omnes ab obligatione restituendi æque se liberos credunt, sive silentio, sive consilio, confessarii iudicium ipsis innotescat; ergo non aliter sentire debemus de confessario tacente, quando tenetur admonere pœnitentem de obligatione restituendi, ac de consulente ut non restituat, seu dicente non esse obligatum. Idem hanc sententiam ultra citatos jure tuerentur Navar. Medina, Clavis Regia, Salon, Aragon, P. Molina, & alii apud Bonacinam ubi *sup. num. 15.* P. Layman, *tom. 1. sect. 5. de just. tract. 2. cap. 2. num. 4.* Toletus *lib. 3. cap. 16. n. 13.* Rosella, Angelus, Petrus de Navarra, & alii apud Lelsium *lib. 2. de just. cap. 13. dub. 10. n. 77.* Qui optimè tradit *cap. 7. num. 3.* cum Joanne de Medina confessarium Theologum, vel juristam, qui ex ignorantia graviter culpabili dixerit contra quempiam esse licitum, qui revera est illicitus, teneri ad restitutionem damni sequuti, nec aliter Magistrum, vel confessarium eximi posse ab hoc onere, quam habendo evidentiam moralem, (aut probabili-

lem opinionem) quod licet possit pœnitens restitutionem omittere, aut quidpiam aliud efficere, ex quo damnum proximo vidit imminere; quia cuilibet est jus, ne in ejus præjudicium alter decipiatur, cui principio innixus Marcus Vidal, ubi supra, suam sententiam limitat, dicens: Confessarius, qui malitiosè non admoneret pœnitentem de obligatione restitutionis, ad hanc teneri, quia dolus ex natura sua est injustus ei, in ejus præjudicium cedit, & idè ut causa indirecta damni facit contra justitiam. Unde ni opinione probabili ductus confessarius, vel doctor procedat, non solum graviter delinquet, in consilio, vel doctrina tradendis, vel omittendis, sed ab obligatione restituendi eximi non poterit, nisi fortè pœnitentem potentem restituere postea doceat, quid debeat facere, & de errore in confessione commissio, vel in consilio præstito admoneat. In hoc enim casu soli pœnitenti, & non confessario imputabitur, si ille restitutionem omittat, ut bene ait Lugo *disp. 22. sect. 3.*

QVÆSTIO V.

An confessarius muneri suo satisfaciat, interrogando pœnitentem, an doceat de peccatis, & affirmanti credere debeat?

1. **R** Em hanc in disputationem adduco, quia Theologaster (nescio quis) opinionem affirmativam eximii Doctoris Francisci Suarez *tom. 4. in 3. par. disp. 32. sect. 2. num. 2.* aulius est fugillare. * Quando pœnitens, inquit Suarez, non habet sufficientia signa doloris, potest, & debet confessarius interrogare pœnitentem, an ex animo detestetur peccatum? Cui affirmanti credere tenetur, & hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi, vel relinquendi occasionem proximam peccandi, sed solum communis, & generalis obligatio non peccandi de cætero. * Sic ille supra, & iterum *tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 8. nu. 7. ibi:* * De proposito credendum est pœnitenti, non obstante quacumque præcedenti frequentia, & inconstantia ejus, quia licet potest mutari in malum, ita etiam in bonum, & ipse est sui accusator, defensor, & testis. * Hæc est sententia P. Suarez innixa principio apud Theologos indubitato, scilicet, in rebus merè spectantibus ad forum conscientie, pœnitenti pro se, & contra se credendum esse.

2. Quapropter ejusmodi sententiam pluribus in locis tenui aperte D. Thomas, ut jam ostendo. *Quodlibeto 1. art. 12.* * Respondeo, dicendum, quod in foro judiciali creditur homini contra se, sed non pro se: in foro autem pœnitentiæ creditur homini pro se, & contra se. * Et ad secundum. * Dicendum, quod spiritualis pastor vultum pecoris sui debet diligenter agnoscere, considerando exterius vitam ejus, sed per modum confessionis non potest diligentius scrutari, sed oportet, quod credat ea, quæ lib: à subdito dicuntur. * Idem tradiderat in 4. *disp. 17. quæst. 3. quæst. unc. 5. ad secundum, ibi:* * Quantum ad hanc cognitionem, non potest majorem certitudinem accipere, quam ut subdito credat, quia hoc est ad subveniendum conscientie ipsius; unde in foro confessionis creditur homini pro se, & contra se. * Hæc D. Thom. quem sequuntur communiter discipuli, Turrecremata

cap. Quem pœnitentem de Pœnit. disp. 1. n. 18. M. Balthasar *in Armilla, verb. Absolut. nu. 30. M. Tabo* na *ibidem quæst. 2. nu. 45.* & alii, quos citat Joannes Sanchez *in Selectis, disp. 8. n. 1. & disp. 10. Quibus adde Fillucium tom. 1. tract. 7. num. 154.* Dicastillo de Pœnit. *disp. 10. dub. 29. n. 171.* ubi pœnitenti affirmanti, se habere retractationem, & positum non peccandi credendum est. * Et Henricus à Murcia, dicens esse communem, in *disputationibus fides habenda est de vero proposito emende, lib. 1. 2. D. Thomæ, disp. 1. resolut. 10. lib. 2. ubi* * Pœnitentia de aliis, quæ contra se, & pro se dicit, ut notat Thom. *Opusculo 26 art. 6.* Henricus supra, & communiter Doctores. * Cui consonat Michado *in sententia Doctorum, 1. fol. 606.* ubi ex communi ro dolor de suis peccatis, non debet excludi doctro- neficio de la absolutione. Acerca de lo qual se está à lo que el dixere, y debe darle el Confessor, como en todas las demas cosas, que conuere en su favor dixer. *

3. Hanc communem sententiam omnino teneo, cum propter rationem D. Thomæ super adductam; tum quia, ut ait Thomas Sanchez *in Matrim. disp. 45. n. 2.* nemo ita saluti suæ immensum præsumitur, ut querens Deo reconciliari, in mentis foro falsum deponat, & ita, inquit, fatetur contra. * Dicitur consonant M. Sotum 4. *disp. 18. quæst. 2. art. 1. vers. At postquam de confessarii interrogationibus præteritis, (utrum teneantur interrogare pœnitentem) ait, Responderetur, & est notandum, quod etiam per se confessarii non est interrogare, sed ad pœnitentem, & inferius. Igitur prudentia sacerdotis sit, ubi pœnitens cordatus apparet, neque tam facina peccatorum onustus, dicique se diligenter fecisse pro sua virili, & judicio suo, nullius esse ob- tum delicti, nil amplius interrogare. * Si vero non prudentia præditus non appareat, nec tanta conscientie curam gerere. * Ea, inquit, profusus interroget, quæ secundum suum statum, & officium verisimile est incurrisse, extra molestem ministrationem rationum. * Quæ observare oporteret confessarius, ne pœnitentibus molesti sint.*

4. Rogabis, an etiam debeat confessarius cedere pœnitenti offerenti relinquere occasionem proximam peccandi, & ejus proposito cœtus absolvere: Ut respondeam, suppono, eam de occasione proximam peccandi, quæ ex suo generalis est, ut frequenter homines simili conditione peccatum mortale indicat, vel experientia conuenit hoc hominem talem effectum habere: potest enim contingere, ut respectu unius occasio proxima sit, quæ respectu alterius talis non est. Videatur Suarez *disp. 32. sect. 1. n. 4.* Hinc aliqui apud Card. de Lugo *disp. 10. sect. 10.* occasionem proximam peccandi debent Quæ nunquam, vel serè nunquam utitur homo, ad peccatum: & ita cum Sanchez de Matrim. *lib. 9. disp. 1. num. 6.* Navarro, Suarez, Corduba, Trullencio, & alius, eos citans explicat Leander à Sacram. *lib. 1. cap. 9. 32.* Utramque explicationem approbat. Causa de Lugo ubi supra, & credo esse satis conformem communi Doctorum sensui: quamvis Navarrus in *summa cap. 3. num. 10. & 11.* asserat, neminem, quem ipse videt, occasionem proximam pro dignitate debere. His positus.

5. Prima sententia asserit, habentem occasionem proximam absolvi non posse, nisi prius eam reliquerit.

ut, nec ejus proposito fidendum. Ita Rodriguez. *tom. 1. Sum. cap. 46. n. 19.* Navarro *cap. 16. nu. 20.* Margarita *Confess. fol. 30.* & Capevila de *casibus reservatis in fine, fol. 186.* Contrariam verò sententiam tuentur viri doctissimi, Suarez *disp. 32. sect. 3.* Joannes Sanctius in *Sententiis, disp. 10. num. 4.* Tabiena *verb. Concubinatus, n. 2.* Quam vetiorem censeo: quia ut pœnitens absolvarur, non debet prius exequi, quidquid facere praterita, & habeat propositum efficax non peccandi de cætero; in quo continetur intentio efficax ejiciendi. V.g. concubinam, & relinquendi occasionem quamlibet aliam proximam peccandi, utpote quæ, si ipsa, si voluntaria, est peccatum mortale, ratione proximi periculi reiiciendi. Qui enim sic dispositus accedit, sufficientem habet dispositionem, ut confessarius absolutionem ipsi impendat. Quapropter eum, qui ante confessionem, cum posset, non restituit, absolvendum esse, si verum habeat propositum relinquenti, docet Sylvest. *verb. Confessio, q. 12. Imò, & quod durius est, pœnitentem etiam antequam denuntiet confessionem, qui ad inhonestam in confessione sollicitavit, absolvi posse, si firmiter proponat, quamprimum possit denuntiare, puta ut Sanctarellus de *heresi, cap. 9. d. 1. n. 16.* & Navarrus apud ipsum testans de *praxi sacre Pœnitentiæ, Freitas q. 21. n. 23.* Ortiz in *Sum. cap. 29. n. 9.* Quod admitti tantum potest, urgente necessitate communionis, vel vitandi scandali, maxime, quando Minister Tribunalis sanctæ Inquisitionis longè distat. Sic enim hujus mandatum, & quod continetur in Bulla Gregorii XV. quæ incipit *Univerſi Dominici gregis* exponunt communiter Doctores, apud Leandrum à Sacram. *tom. 2. tract. 5. disp. 19. q. 48.**

6. Major est difficultas, an si pœnitens aliquoties proposuisset concubinam ejicere, vel injustè ablatum (pro ut potest) restituere, & virtute hujus propositi fuisset à confessario absolutus, possit ter, vel quater, si promissis non fletit, retenta concubina, vel restitutione non præcedente, à peccatis absolvi. Respondet affirmativè Joannes Sanctius *abſolut. præ n. 24.* pro se adducens Medinam, Cordubam, Angelum, Sylvestrum, Tabienam, Armillam, Cajetanum, D. Antoninum, & Suarez: & novissimè cum Candido, & Grassio, Granado, & aliis, idem tradit Leander *disp. 7. q. 25. & 51.* Probat, quia ex eo quod ter, vel quater fregerit propositum, non est grave indicium defectus dispositionis præsentis: aliquid enim fragilitati humane tribuendum est.

7. Verum quando nulla justa causa, saltem pœnitentis judicio, ad non relinquendam occasionem proximam peccati, adfuisset; si semel & bis absolutus proposito defecisset, ego tertio non absolverem, nisi obligationi, qua adstringitur, ejiciendi concubinam, vel solvendi debita, quæ potest, prius satisfecisset. Neque enim prudens judicium de ejus firmo proposito non peccandi concipere possem: & experientia didici occasionem raro relinquere, qui ad confessionem sic accedit. Nec audiendi sunt nonnulli Neothetici, qui asserunt confessarium posse absolutionem impendere, licet sibi certò constet aliunde pœnitentem non esse rectè dispositum, quod in hoc foro semper stari debeat ejus dictis, & secundum allegata, & ejus testimonio probata, sententia absolutionis, vel retentionis sit ferenda; licet in foro externo ex testium depositione, licet judici contrarium constet. Sed hæc sententia est falsa omnino, & contra omnes Theologos: nec paritas quidpiam probat, quia in foro externo, juxta opinionem D. Thom.

contra Scotum, ad rectam Reipublicæ gubernationem, notitia tantum publica judicem vel, maxime, oportet: in foro autem conscientie, cum bono animæ ipsius pœnitentis tantum consulat, nequit confessarius, qui judex, & medicus simul est, venenum ei, loco medicinæ, applicare, quale esset indispositum absolvere, novo ejus peccato cooperando, & Sacramentum irritum administrando, quod à gravi culpa nullatenus potest eximi. Idèoque confessarius, qui ex aliis circumstantiis judicat pœnitentem non habere dolorem, & propositum, quantumcumque ipse asserit se dolere, non posse illud absolvere, docent Suarez, Reginaldus, Sanchez, quos citatos sequitur Granado *contr. 7. tract. 10. disp. 9.* Henriquez *lib. 4. cap. 24. nu. 4.* Lugo *disp. 14. numer. 166.* & alii communiter. Id autem contingit, quando non relicta occasione proxima, tertio post absolutionem relapsus, ad confessionem accedit.

8. Aliud verò esset, si pœnitens, qui bis absolutus concubinam tamen non ejicisset, modò reprehensus à Confessario, denuo eliceret extraordinarium aliquem dolorem, & efficacissimum propositum relinquendi statim occasionem, ex quo posset confessarius prudenter judicare, executionem non differendam. Nam cum pœnitens expertus non sit fractionem propositi adeò efficacis, potest prudenter censere ei statutum, & confessarius ita se habere, ac si nunquam talis pœnitens de occasione proxima domi retenta se accusasset, & consequenter fidem illi præstans absolvere. Quia licet sapè proposito minus efficaciter defecerit, non verò intensissimo, quo ex Dei auxilio affectum in his circumstantiis se agnoscat. Ita cum Layman, & Navarra tradit Batini *tom. 1. de Sacram. tract. 4. de Pœnit. q. 15.* Imò addo posse in prædicto casu pœnitentem absolvi ratione propositi non peccandi de cætero, licet non proponat ejicere, quam ut concubinam habuerat. Pro hoc asserto me judice militat Card. de Lugo *disp. 14. sect. 10. num. 151.* ubi ex communi Doctorum asserit, extraordinarium dolorem, & propositum non peccandi cum femina domi retenta, facere, quod hæc retentio non censetur in posterum occasio proxima peccandi: Quia homo, inquit, sic armatus, fortior multò est, quam erat prius, ac proinde probabilem possumus de ipso sperare victoriam tentationum, à quibus antea semper superabatur. Ergo cum voluntate non ejiciendi concubinam (si aliunde non sit scandalum, ut notant communiter Doctores) comparatur dolor efficax, & propositum non peccandi, quod in habente occasionem proximam voluntariam non invenitur. Unde, quæ antea talis censebatur, desinit esse talis. Hæc enim est vis, & efficacia fervorosisissimi doloris, & propositi non peccandi. Idèò citato Cardin. de Lugo, id iure tradit Tamburin. in *Methodo, lib. 3. cap. 3. §. 3. n. 6.* Qui addunt idem dicendum, quando occasione proxima non relicta, pœnitens proponeret efficaciter alia media de novo adhibere, quibus posset prudenter censeri posset non futuram deinceps peccandi occasionem. Quod à fortiori verum etiam erit, quando ob aliquod inconveniens, vel impedimentum, quod de novo supervenit, occasio proxima desinat esse. Ut cum Grassio, Lopez, Fernandez, & Sanctio tenet Leander *disp. 7. quæst. 4.*

9. Similiter, si pœnitens nullam occasionem proximam extrinsecam haberet, sed ex fragilitate carnis sæpius laberetur. V.g. juvenis, qui in pollutiones voluntarias frequenter reincideret, posset toties quoties absolvi, si eum vita præterita pœniteret, & proposuisset efficaciter, auxilio Dei, non peccare de cætero.

cetero. Est enim ad absolutionem rectè dispositus, nilque ex obligatione, & necessitate Sacramenti, ad ejus receptionem permittitur adstringitur præter id, quod valor, & effectus Sacramenti, & præviā dispositionem, juxta declarationem Concilium, exigunt. Ita P. Thomas Sanchez tom. 1. Sum. lib. 2. cap. 32. n. 45. ubi loquens de habente consuetudinem blasphemandi, inquit. "Secundò dico, quando nil curæ appositum ad emendam, admonitumque est sæpè in aliis confessionibus, posse adhuc in rigore loquendo statim absolvi, si verè doleat de præteritis, & in posterum emendationem firmiter proponat, quia nullam occasionem extrinsecam habet, ut vel sic necessario impediatur absolutio, sed ex fragilitate carnis, sicut in alia vitia, &c. Sic ibi, & iterum lib. 3. cap. 5. n. 18. Et in terminis (ut ajunt) tradit M. Zanardus p. 1. cap. 2. de fornic. fol. mibi 812. ibi: "Sicut absolvimus blasphemias, gulosos, ac alios sæpè lapsus eisdem peccatis peccantes; ita etiam possumus absolvere illos, qui ex fragilitate carnis, sæpè meretricantur, dummodo promittant, Deo adjuvante, pro possibili ab his abstinere." Hus sequuntur Castro Palao tom. 3. tract. 14. disp. 1. punct. 9. n. 6. Bauni in Theol. mor. tract. 4. q. 15. fol. 96. Leander à Sacram. tract. 5. disp. 7. q. 36. & q. 49. ubi pro se refert Henric. Suarez, Reginald. & Azorium. Idem docet Leander à Murcia Capuccinus in disquis. mor. lib. 2. disp. 1. apud quem M. Sotus, Valentia, Aggidius, Sà, Joannes Sanctus, & alii. Quibus subscribit Thomas Hurtado tom. 1. resol. mor. tract. 1. cap. 1. & cap. 3. resol. 2. nu. 36. & 37. Ubi ex verbis Christi Domini, Luc. 17. ut à Chrysostomo, D. Augustino & ab aliis SS. Patribus expositis, sic inferit: "Ex quibus tale colligo, meo judicio, validum argumentum. Christus dicit, quod si peccaverit quis in die septuagesimæ, si pœniteat, debeat absolvi. Ergo quamvis lapsissimè cadat, si speret auxilio Dei non cadere in futurum, potest concipere propositum emendandæ vitæ, & dolorem de præteritis. Consequentia est evidens, quia Christus id non putat impossibile, siquidem id præcipit Petro, Atque ita si Petrus tenetur dimittere, &c. poterit Confessor absolvere illum, qui est in occasione proxima peccandi venialiter, imò, & mortaliter, si occasio fiat ei involuntaria (& iterum cap. 5. numer. 9.) Quare de illo idem judicium debet ferri, ac de alio, qui habet consuetudinem peccandi, unde et si septuagesimæ septies cadat, toties debet absolvi."

10. Quibus faciunt plures alii Doctores, qui de consilio tantum putant, differre absolutionem habenti consuetudinem peccandi, quos citatos sequitur ipse Hurtado tom. 1. resol. mor. tract. 1. cap. 6. nu. 206. dicens: "Communis sententia est ferè omnium Doctorum asserentium, saluberrimum consilium fore, de negare ad tempus absolutionem irretitis, aut consuetudine peccandi, aut occasione proxima (nimirum, quam non tenetur vitare.) Sic Suarez, Sanchez, Ledelina, Rodriguez, Ludovic. Lopez, Sayrus, Villalobos, Henric. Azor, Gaspar Hurtado. Quos omnes iterum vidi, & loquuntur de habente consuetudinem, vel jurandi, vel blasphemandi, vel occasionem proximam, à qua, quia sui juris non sunt, separari non possunt. "Si ergo de consilio tantum est absolutionem differre, poterit confessor peccatores hujusmodi statim absolvere; quia recta dispositio præsens rectè compatitur cum consuetudine præterita, & cum omissione diligentia ad eam extirpandam: & ut rectè cum M. Soto, & Valentia, ait Joannes Sanctus in Selectis, disp. 9. n. 6. "à peccato ommissio-

nis non vitandi pravam consuetudinem, tunc talis desistit, quando dolet de peccatis, & de mala consuetudine præterita."

11. Addit Sanctus num. 17. non solum posse Confessarium in his casibus statim absolvere, sed necesse esse absolutionem differre, si pœnitentem non doleat, & proposito affectum censeat. Cui consentiunt Moutre in Sum. 3. p. cap. 6. n. 25. dicens esse communem, & tenent Sotus, Ledelina, Navarrus, & alii, repulsi Henric. lib. 6. de Pœnit. cap. 26. n. 5. in Glof. l. 2. cum II. ult. ac Rever. P. M. Fr. Petro de Tapia, & quæ tur M. Acatus de Velasco, Episcopus, Oñativus tom. 1. resol. mor. verb. Absolutio, & iterum resol. 1. folio 390. dicens: "El oficio recto del Confessor, que aviendo oido de confesion, llegando el penitente bien dispuesto, le debe absolver, pena de peccado mortal. Así lo ensenna el Illustissimo y Reverendissimo Fr. Pedro de Tapia. "Quos, alius citat, sequitur Fr. Leander à Murcia in disquis. lib. 2. cap. 1. resol. 1. fol. 158. num. 3. & seq. "Hæc sententia, mihi semper arrisit, quia, ut experientia docet, non quini confessionibus audiendis exerceatur; de qua absolutionem, regulariter non est remedium, sed potius medium, quo in desperationem ruat, vel quæ odiosa reddatur eis confessio, &c. Hanc experientiam, quam ego habeo, & multo graves viæ, quæ confessionibus audiendis frequenter vacant, imitari habuisse retulerunt. "Hæc ille cum citatis. Quam sententiam pluribus comprobatur P. D. Castillo, tom. 1. de Sacram. tract. 8. disp. 10. dub. 29. num. 57. Quæ valde notanda à Confessariis pro hujus Sacramenti praxi, ne peccata in futurum multiplicent, dum cavere intendunt. Prudentis tamen rationis ratio remittendum cenfeo, an aliquando absolvere differre expediat; aliqui enim sunt pœnitentes, quibus hoc remedium saluberrimum fore, prædilectum me censeo potest. Unde de Confessariis, licet jacta munere præcisè considerato, teneretur absolutionem impedire, cum tamen medicus simul sit, qui ad præcavendum in futurum, debet etiam eximere attendere, non est, cur slicitum dicatur, hanc occasionem applicare, quæ convenientem judicaverit. Quinimò & debet: ut bene ait Cardin. de Lugo disp. 14. sect. 10. num. 71. dicens esse communem sententiam experientia comprobata.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Ministro in ordine ad casus reservatos.

Reservatio peccati nil aliud est, quam ablati jurisdictionis à reliquis Sacerdotibus ministeriis; ita ut à solo reservante, vel ab aliquo superiore, vel de eorum licentia, possit ab alio Sacerdote directe absolvi, neque aliter cessare potest obligatio consistendi, quæ jure divino peccatores adstringuntur.